BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM
ET ROMANORUM
TEUBNERIANA

HORAT. ROM.

LIPSIAE

DIESES·BUCH·GEHÖRT



DIE HELLENISCHE KULTUR

DARGESTELLT VON

FRITZ BAUMGARTEN, FRANZ POLAND, RICHARD WAGNER

2. Auflage. Mit 7 farbigen Tafeln, 2 Karten und über 400 Abbildungen im Text und auf 2 Doppeltafeln.

[X u. 491 S.] gr. 8. 1907. geh. ℳ 10.—, in Leinwand geb. ℳ 12.—

Dem Bedürfnis nach einer zusammenfassenden Darstellung der griechischen und (in einem zweiten, in Vorbereitung befindlichen Bande) der römischen Kultur in weiterem Umfange, als sie bisher vorliegt, soll dies Werk Rechnung tragen. Die Verfasser, die sämtlich im praktischen Schuldienst stehen, haben es als ihre Aufgabe angesehen, die gesicherten Ergebnisse der neueren Forschung in einer für jeden Gebildeten faßlichen und lesbaren Form darzubieten, unter besonderer Berücksichtigung der Bedürfnisse und der Ergebnisse des Unterrichts in den Oberklassen unserer höheren Schulen. Dem geschriebenen Wort tritt ergänzend und weiterführend ein reichhaltiges Bildermaterial zur Seite, das um so weniger fehlen durfte, je lebendiger und unmittelbarer gerade das Kulturleben des Altertums uns durch seine Denkmäler veranschaulicht wird.

„[illegible]“

„[illegible]“

HORATII ROMANI

PORCARIA

SEU DE CONIURATIONE STEPHANI PORCARII CARMEN
CUM ALIIS EIUSDEM
QUAE INVENIRI POTUERUNT CARMINIBUS


PRIMUM EDIDIT AC PRAEFATUS EST

MAXIMILIANUS LEHNERDT

ACCEDIT PETRI DE GODIS VICENTINI
DE CONIURATIONE PORCARIA DIALOGUS
E CODICE VATICANO ERUTUS



MCMVII
LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

Printed in Germany

Praefatio.

De Horatio Romano litterarum renascentium aetatis poeta, qui inde a temporibus Nicolai V papae laude artis poeticae apud aequales floruit, admodum pauca memoriae prodita sunt. Ne nomen quidem gentilicium cognitum habemus; praenomen ab ipso, cum Calixto III pontifice max. scriptoris apostolici munere fungeretur, scribebatur Horacius, in carminum autem quae inveniri potuerunt inscriptionibus legitur Oracius vel Oratius, utiturque ea nominis forma Joannes Vahlen, cum breviter agit de poeta in commentario qui inscribitur Laurentii Vallae opuscula tria (Sitzungsberichte d. phil.-hist. Classe der Kais. Akad. der Wissensch. vol. LXI, Wien 1869, p. 377).

Horatius quando natus sit ignotum est, unum summa cum veri specie dici potest prima artis poeticae specimina circa medium saeculum quintum decimum ab eo esse edita. Quare si — id quod a vero vix videatur abhorrere — Romae optimarum artium studiis imprimisque linguae graecae ediscendae operam eum dedisse arbitramur, praeclaris potuit uti magistris: Georgio Trapezuntio, Laurentio Valla, Theodoro Gaza tunc apud Studium quod dicitur Romanum rhetoricam grammaticam philosophiam profitentibus. Tempora autem erant eiusmodi, ut viri docti et poetae gloriam sibi et divitias comparare possent: anno enim 1447 Nicolaus V papa in solio pontificio locatus erat praeclarus ille litterarum artiumque fautor atque patronus. Cuius benevolentiae et liberalitati ut se commendaret, Horatius anno ut videtur

1453 carmina nonnulla a se composita in unumque corpusculum collecta ad Petrum Lunensem secretarium apostolicum misit libellum per eum in manus summi pontificis venturum esse sperans. De quo codice, qui ubi esset per tria fere saecula incertum erat, paucis iam agere mihi liceat.

Ioannes Gerardus Vossius in libro tertio operis quod conscripsit de historicis Latinis — primum in lucem prodiit anno 1627 — haec dicit (ed. Lugd. Bat. 1651, p. 584): „*Fuit iisdem temporibus [quibus Candidus Decembrius] Horatius Romanus sive, ut MSus cod. habet, Oratius poeta. Hic ille est, qui precibus a Nicolao V pontifice exoratus primus Iliada Homeri transtulit Latine. Idem poema condidit libris II, cui nomen Porcaria. Est id de conspiratione Stephani Porcarii sive Porcii ... Dedicavit hoc poema ipsi pontifici Nicolao. Praefatio gemina est, prosa una est, altera ad pontificem versu elegiaco. Poema ipsum sic incipit:* [sequuntur sex primi versus Porcariae]

Etiam elegiam reliquit, cuius titulus Venus aurea. Item aliam ad Fr. Sfortiam ducem Mediolani quae incipit: Dive virum lapsura —

Scriptor est non aspernandus plane, sed qui sordidi aliquantum trahat ab aevo quo vixit. MSo eius codice usus sum ex bibl. doctiss. et amiciss. viri Arn. Buchellii J. C. Ultrajectini.“

Quem Vossii locum afferre scriptores posterioris aetatis velut Apostolus Zeno, Fabricius, Vahlen, Tommasinus satis habent, ipsum vero Buchellii codicem nemo post Vossium videtur inspexisse. Atqui exstabat codex exstabatque in publicis bibliothecis, primum in tabulario provinciae[1]), nunc vero in bibliotheca universitatis Rheno-Traiectinae, cui qui praeest benigne mihi transmisit

1) Van den levene ons heren. Een Rijmwerk uit de Middeleeuwen. Naar een Hs. der XV eeuw uitgegeven door P. J. Vermeulen, Utrecht 1843, p. XLII.

librum tam diu desideratum. Est codex 826 catalogi typis impressi[1]), noviter signatus Ms. var. 411, membranaceus, forma octava minore. Constat ex chartis 36, quorum primum ultimaque tria textu carent, lateribus ubi dissecta sunt folia auro tinctis. In singulis paginis viceni bini, in paucis viceni singuli versus manu Italica saeculi quinti decimi elegantissime scripti sunt singulis locis secunda eiusdem saeculi manu correctis. Quae manus nescio an in margine quoque adnotaverit nomina propria quae in textu occurrunt vel attinent ad carminis verba rectius intellegenda; etiam graviter quaedam dicta, in iis loca ad gloriam pontificis pertinentia, itemque comparationes poeticae in margine notis appositis designantur. In primo folio manu saeculi septimi decimi legitur locus quidam ex Sabellici hist. Ven. lib. XXVII° excerptus[2]), ubi agit de coniuratione Stephani Porcarii. Cui altera manu, quae, ut affirmat Vermeulen l. c., ipsius est Buchellii, addita sunt haec: *hac narratione continetur argumentum huius poematis. cuius quoque rei meminit Platina in vita Nic: V. pontif: et ex eo Benterus in Ephemeri Histo: pa 27.* — Eadem ut videntur manu in ultima codicis pagina scripta leguntur

Hunc librum emit in auctione S Aldegondiana
A° CIↃ IↃ IC Arnoldus Buchellius Batauus.

Quo codice quae continentur cum plane congruant cum carminibus a Vossio allatis non debet dubitari, quin liber Rheno-Traiectinus idem sit quo quondam usus est Vossius. De Arnoldo Buchellio minore iurisconsulto rerumque scriptore haud ignobili, qui vixit ab anno 1565 usque ad annum 1645[3]), nuperrime egit van Langeraad

---

1) Catal. codd. mss. bibliothecae universitatis Rheno-Traiectinae, Traiecti ad Rhenum 1887, p. 213.

2) Ed. Basil. 1669 p. 520. Incipit: His minis bellorum — Expl.: ad supplitium tractus est.

3) Burmannus (Traiectum eruditum Trai. ad Rhen. 1738, p. 38) eum anno 1641 mortuum esse tradit.

in ephemeride quae inscribitur Archivio della società Romana di storia patria XXIII. 1900 p. 6 sqq. Ibidem diarium itineris italici quod ille susceperat annis 1587 et 1588 vulgatum est. Anno autem 1599 Ultraiecti sedem habebat Buchellius codicemque illum emit ex hereditate cuiusdam de S. Aldegonde familia Batava nobilissima.

Veniamus nunc ad carmina quae in codice nostro leguntur breviter illustranda. Quae ab ipso Horatio in unum corpus redacta esse certum videtur, errat enim Vossius cum praefationem prosa oratione conscriptam ad solam Porcariam pertinere dicit. Immo ad totum corpusculum referri debet neque altera praeter eam exstat praefatio; etenim qui sequuntur versus elegiaci ad pontificem conscripti non praefatio, sed primum corporis carmen est existimandum. Codex autem eleganter scriptus nitideque ornatus nescio an idem sit quem Petro Lunensi Nicolai V familiarissimo misit Horatius. Erat is poeticae humanitatisque studiis et ipse deditus amicitiaeque vinculo coniunctus cum Poggio Florentino Leonardoque Bruno Aretino, itemque filii eius quem Horatius commemorat, cui nomen erat Baptista, versus leguntur in Anecdot. litterar. vol. III (Romae 1773) p. 431.[1]

Quam praefationem quae sequuntur carmina haec sunt:

1. Ad Nicolaum V elegia. Celebrat poeta egregiam virtutem pontificis, quo regnante aurea saecula redisse videantur. Imprimis autem opera ab eo suscepta summis effert laudibus, quae magnificentia et pulchritudine omnia antiquitatis aedificia longe superent. Quorum operum notis in margine adiectis commemorantur ab Horatio haec:

Palatium apostolicum iuxta ecclesiam S. Mariae

1) Mancini, Vita di Lorenzo Valla, Firenze 1891, p. 286 N. 3, p. 275 N. 6. Liber, quem olim possedit Petrus ille, qui asservatur Viterbii in bibliotheca Capitulari, epistulam eius continet ad Leonardum Aretinum scriptam, cf. Revue des bibliothèques vol. V, 1895, p. 244.

Maioris situm a pontifice erectum et amplificatum. Quod opus anno 1452 satis iam processisse e bulla ipsius Nicolai intellegitur, quam affert Müntz Les arts à la cour des papes I, 144.

Pantheon vel ecclesia S. Mariae Rotundae, quam, ut ait Horatius, „sacra ferunt matri templa fuisse deum". Quod antiquitatis monumentum plumbeo tecto restituisse Nicolaum Platina quoque tradit in vitis pontificum, cf. Müntz l. c. p. 145.

Castrum S. Angeli inde ab anno 1447 refectum et munitum, Müntz p. 150.

Pons Milvius seu ut dicit Horatius Mollius (in margine per errorem scriptum est emilius), cuius mediam partem ligno fabricatam lapideam exstruxit pontifex turrimque in dextra fluminis ripa coepit aedificare. ibid. p. 158.

Aedes Vaticanae a Nicolao restitutae et amplificatae murisque et turribus cinctae, quod opus praeter cetera praedicandum censet Horatius. ibid. p. 115.

2. Porcariae libri duo, quod carmen epicum constat ex 1053 versibus hexametris, de quo dixi in commentario qui inscribitur „die Verschwörung des Stefano Porcari und die Dichtung der Renaissance" (Neue Jahrbücher für das klass. Altertum, Geschichte und deutsche Litteratur 1903 I. Abteil. Bd. XI, p. 108). Quare de Stephano illo, qui coniuratione quam contra Nicolaum dominationemque pontificiam fecerat detecta a. d. V Idus Ianuarias anni 1453 una cum Angelo Masi filioque eius Clemente furca suspensus poenas sceleris luit, denuo hic verba facere supersedendum putavi, praesertim cum de ipsis rebus gestis parum novi e versibus Horatianis cognoscatur. Quo carmine non tam in animo habuit poeta coniurationem illam quaeque eam secuta essent describere, quam ut summi pontificis gloriam praedicaret seque ipsum clementiae eius commendaret. Neque enim ullam praetermittit occasionem, quin pontificis virtutes beneficiaque in urbem Romam congesta collaudet et celebret, neque ob aliam

causam de quattuor urbis aetatibus latius ac diffusius verba facit, nisi ut postremo Nicolai pontificis dominationem felicissimam et gloriosissimam urbis aetatem esse praedicet, quae cum reliqua Italia continuis bellis inter Franciscum Sfortiam et Venetianos Alfonsumque regem Neapolitanum ortis fatigetur, pace fruatur et tranquillitate praeclarissimisque a pontifice communiatur atque exornetur operibus. E quibus commemorat Scipionemque ad superos reversum summopere admirantem facit moenia urbis, quae per Beltramum Martini filium redemptorem exstruantur[1]), basilicam S. Petri aedesque Vaticanas.

Iam vero si quaerimus, quae potissimum veterum poetarum exempla cum in argumentis tum in dicendi genere secutus sit Horatius, plurimum Vergilio eum debere nemo est quin videat. Inde quae de regno inferorum tradit omnia fere hausta sunt: Charon, Cerberus, Minos, portenta allegorica limen Ditis servantia, Furiae illique qui aeternas poenas luunt itemque sedes secretae ducum clarorum, Catilina denique et Cato, nisi quod Uticensem ponit Horatius pro Censorio. Scipionis Africani res gestas, quod iam inde a Francisco Petrarca illustrissimum Romanae virtutis exemplar existimabatur, ex Livio cognitas habet. Cuius umbra similiter mortali corpore induitur apud Horatium quo Erichthonem in Lucani Pharsalia (VI, 750 sqq.) corpori occisi animam vitalemque calorem reddentem videmus, itemque Ovidii Statiique carmina satis diligenter eum legisse apparet. Neque desunt quae ex Dantis Aldigerii opere egregio sint desumpta, qui umbras mortuorum similiter flammis involvi et a colubris anguibusque vexari[2]) facit atque Angelum illum Porcarii sororis virum Horatius, ibidemque invenit Cerberum dentibus unguibusque damnatos lacerantem.[3]) Sicut autem

1) Porcaria I, 514 II, 241. — De Beltramo cf. Müntz l. c. p. 104. 159.
2) Inferni cant. XXVI, 47. XXIV, 82 sqq.
3) ibid. VI, 18.

Porcarii comes in aquam Stygiam delapsus manibus atque ore ratem capit Charontis (Porc. I, 166), ita Philippi le Argentis Florentini iracundum simulacrum navigium Phlegyae Stygem traiecturi comprehendisse apud Dantem egimus.[1])

Neque in argumenti modo et genere dicendi sed etiam n re metrica versuumque ratione Horatium ad exemplar eterum poetarum artem suam laudabiliter excoluisse pparet. Cuius in carminibus quamquam non desunt, uae ab elocutione et arte metrica antiquorum auctorum bhorreant, tamen longe in ea re praeferendus esse videır Josepho Brippio Registraturae quae dicitur pontificiae raefecto, cui et ipsi carminis edendi occasionem praebuit orcarius. Quo de carmine ad ea quae dixi in commenriolo quem commemoravi lectorem revocare mihi liceat.

3. Carmen elegiacum, quod inscribitur Venus aurea. ıius argumentum sumpsit Horatius e carmine Ἔρως ἀπέτης quod Moschi perhibetur, neque tamen accurate ud in linguam latinam transtulit ut postea Angelus litianus[2]), sed summa libertate argumento usus novum ›rsus carmen altero fere tanto maius alioque versuum ıere effinxit.

4. Ad Franciscum Sfortiam ducem Mediolani gia epistola ad Nicodemum quendam praemissa, quem carmen principi tradat hortatur. Conscriptum videtur ιο 1451 foedere inter Alfonsum regem et Venetianos belloque contra Sfortiam Florentinosque cum eo iunctos imminente, cum metus esset, ne regis exercitus fines pontificis irrumperent. Monet autem Sfortiam, ıs potentia atque auctoritas quantum tunc apud omnes ıerint nemo est qui nesciat, ut communi hoste pro-o opes pontificias restituat pacemque reddat Italiae,

1) Inferni cant. VIII, 40.
2) Amor fugitivus e greco Moschi in Politiani Opp., eae 1553, p. 93. Prose volgari e poesie latine e greche ng. Poliziano ed. del Lungo, Firenze 1867, p. 525.

cuius imperium fatis sibi sit destinatum. Nicodemum autem illum, ad quem Horatius carmen miserat, Nicodemum Tranchedinum Pontremolanum Sfortiae familiarem esse summa cum veri specie licet suspicari, qui illo ipso tempore legatus Romae munere ducis fungebatur.[1])

Horatii carminibus, de quibus adhuc diximus, lectis Nicolaum V adductum esse, ut poetam ad maius opus aggrediendum impelleret haud videtur improbabile. De qua re Aeneas Sylvius in Historia de Europa anno 1458 confecta haec dicit[2]): *In Homeri vero poemate, quod heroico carmine latinum fieri magnopere cupiebat, cum plurimi morem ei gerere conarentur, unus tantum inventus est, qui acri eius iudicio satisfaceret, Horatius Romanus, qui scribatum apostolicum ea de re consecutus magnisque pollicitationibus illectus Iliadem aggressus nonnullos ex ea libros latinos fecit dignos, quos nostra miraretur, prisca non improbasset aetas.* Quodsi unum Horatium pontificis iudicio satisfecisse dicit, rem certe verbis nimis auxit Aeneas, cum etiam specimine Iliadis a Carolo Marsuppino cancellario Florentino translatae summa admiratione affectum esse Nicolaum constet. Mortuus autem est Carolus mense Aprili anni 1453 sex mensibus post quam per litteras eum collaudaverat pontifex[3]); atque tum demum Horatium spe favoris pontificii commotum vel ab ipso instigatum opus ab illo omissum suscepisse crediderim — opus certe vires eius excedens, quippe quod vel Basinius Parmensis poeta longe pluris aestimandus modeste a se removerit.[4]) Nonnullos autem Iliadis libros quamvis non sint reperti quin re vera transtulerit Horatius non est cur dubitemus, cum etiam postea Pio II pontifice Homero transferendo operam eum dedisse efficiatur e

---

1) Pastor, Geschichte der Päpste [3]I, 364. 426 aliisque locis.

2) Aeneae Silvii opera, Basileae 1551, p. 459.

3) Voigt, Wiederbelebung des class. Altertums [3]II, 195.

4) Basinii Parmensis opera, Arimini 1794, T. II. P. I, 13.

Porcelii carmine papae illi dedicato quod inscribitur *de poetis et oratoribus sui temporis.* Quo in carmine ita alloquitur Horatium:

Huc ades Orati veterem qui vertis Homerum,
Pegaseos latices cui mea Musa dedit.[1])

Accedit quod exigua saltem pars Iliadis ab Horatio translatae nobis servata est, quod specimen suscepti operis ad Iohannem Tortellium cubicularium pontificium destinaverat. Repperi autem in codice Vaticano lat. 3908, quo volumine multae epistolae inde ab anno 1445 usque ad Pii II tempora ad Tortellium datae comprehenduntur. Cuius in codicis plagula 173 chartacea haec leguntur:

Homeri poetae cla. ex greco in latinū uersi per oratium liber primus incipit yliad̄.

Sequuntur primi duodesexaginta versus Iliadis, quos ipsius Horatii manu scriptos esse non sine causa suspicemur. Desinunt autem in eiusdem chartae pagina altera, cuius inferior pars scriptura vacua mansit. Quare quamquam quae sequitur codicis charta 174 amissa est, tamen alios versus ab Horatio translatos excidisse iure negari potest.

Quod Homeri conversi specimen carminibus Horatianis me inseruisse eosdemque versus a Marsuppino translatos[2]) addidisse vix quisquam vituperaverit. Nam quamquam Vossium cum Horatium primum Iliada in Latinam linguam convertisse diceret, graviter errasse vix debet affirmari, tamen in eo numero est habendus, qui postquam prosa oratione haud pauci ante eum Homerum expresserunt, primi versibus latinis immortalia illa carmina tran-

---

1) Vahlen l. c. p. 378 e codice Rossettiano XII bibliothecae municipalis Tergestinae. Carmen, quod legitur etiam in Codice J VII 260 Bibliothecae Chigianae, nuper editum esse accepi a V. Laurenza (Atti d. Accad. di archeol., lettere e belle arti di Napoli vol. XXIV); cuius voluminis videndi non mihi fuit copia.

2) Bandini, Bibl. Leop. Laurent. II, 439. Descripsit e codice Laurentiano Felix Ramorinus vir egregius.

scribere conati sunt, quod opus esse difficile sane et arduum iure dicit Iannotius Manettus in vita Nicolai V. Nam quamquam singuli Homeri loci iam multo ante, velut in Francisci Barbari libro quem anno 1415 de re uxoria edidit latinis versibus redditi inveniuntur, tamen ut tota carmina hoc modo transferrentur non ante Nicolai V aetatem viri docti operam dederunt. Cuius quantum interfuerit Homerum illum vere latinum possidere et notum est neque debet demonstrari longe aliud opus eius animo obversatum esse atque Coluccio Salutato, qui anno 1392 Antonium Luscum poetam ut graeci poetae verbis neglectis e barbara illa et inculta Leontii Pilati interpretatione carmen heroicum faceret hortatus est.[1]) Sed ne Horatium quidem poetae verba omnia recte intellexisse, omisisse quaedam, alia apposuisse nemo non videbit, quicunque versus ab eo translatos cum textu graeco comparaverit. Quare collatis Horatii et Marsuppini translationibus quamquam elegantiore forsitan ille et expeditiore orationis genere usus sit, Florentinum tamen poetam maiore fide ac diligentia verba Homeri expressisse confitendum est.

Pontifice mense Martio anni 1455 mortuo Horatius quamquam non prorsus omisit minore certe industria indulsit operi. Scribatu autem apostolico quem a Nicolao acceperat etiam temporibus eius pontificis qui illi successerat functus est, cum in volumine epistularum Calixti III nomen eius legatur, quo apposito apographum cum epistola originali consentire confirmaverit.[2]) Cumque Pium II pontificem compluribus celebraverit carminibus, quin etiam postea apud curiam vixerit non est dubitandum. Quibus poetae muneribus ut pecunia eum honoribusve remuneraretur Pium adductum esse vix crediderim, quippe qui et ipse vir doctissimus scriptorque excellens carminibus sibi

1) Epistolario di Col. Salutati ed. Novati II, 354. 398.
2) G. Amati, Notizia di alcuni manoscritti dell' archivio secreto Vaticano. Archivio storico ital. Ser. III, Vol. III, P. I. 180.

dedicatis rarissime moveretur. Qua spe ad irritum redacta num adductus sit Horatius, ut gloriam bellicam Sigismundi Malatestae principis Ariminensis hominis papae infestissimi versibus celebraret, dici non potest. Quod eum fecisse e carmine poetae cuiusdam ut videtur Romani anno 1467 ad Malatestam misso cognoscimus, ex quo Horatium paulo ante repentina morte absumptum esse efficitur. Cuius carminis ab Eugenio Müntz editi versus sunt hi[1]):

Non ego te altisona princeps celebrande Camoena
Cantabo armipotens inferiore lira:
Quam tua dextra potens bello sit, Horatius edit
Praecipiti celeris limine mortis inops.

Sed redeamus ad carmina illa, quae ad Pium II pontificem destinavit Horatius. Inveniuntur in corpore carminum a pluribus poetis in laudem Pii II conscriptorum, cuius corporis duo mihi innotuerunt codices:

1. Cod. XII bibliothecae quondam Rossettianae, qui nunc in bibliotheca municipali Tergestina asservatur (Ms. XII. Sez. 2ª): Epaeneticorum ad Pium II libri quattuor. Continet 77 carmina orationes epistulas 27 circiter scriptorum, quorum tabulam invenies in libro qui inscribitur: In onore e memoria dei tre vescovi di Trieste Enea Silvio dei Piccolomini, Andrea dei Rapicii, Rinaldo Scarlichio, Trieste 1862, p. 20. Qui codex cum fieri non posset ut mihi transmitteretur, Ioannes Vahlen vir clarissimus qua est humanitate carminum Horatianorum apographum ab Ottone Koren factum mecum communicavit.

2. Cod. J VII 260 Bibliothecae Chigianae Romanae quem indicavit Pastor, Geschichte der Päpste II, 27. Carmina illa excerpsit Eduardus Loch collega meus, cui hoc quoque loco liberalitatis debitas ago gratias. Continet autem codex eadem ac Tergestinus Horatii carmina,

---

1) E. Müntz, Plans et monuments de Rome antique. Mélanges G. B. de Rossi, Rome 1892, p. 142.

erravit enim Josephus Cugnoni vir clarissimus, cum in Chigiano unum Horatii carmen inveniri mihi scriberet, quod deesset in Tergestino.[1])

Quibus in codicibus quae leguntur carmina Horatiana haec sunt:

1. Epigrammata novem, quorum primum est pro prooemio; eorum quae sequuntur bina ita inter se coniuncta sunt, ut singulis distichis, quae ipsi Pio sunt attributa, quaternis vel ternis respondeat poeta.

2. Oratius Romanus Pio II pont. max., sex tantum disticha continens. Scripta videntur postquam pontifex a conventu Mantuano Romam rediit (Octob. 1460).

3. Oratius Romanus Pio II pont. max. Carmen scripsit poeta cum Mantuae commoraretur pontifex, ut principes Europae civitatesque Italiae ad bellum Turcis inferendum impelleret. Quorum principum potentissimos Franciscum Sfortiam et imperatorem Fridericum III post pontificem fusius alloquitur hortaturque alterum ut desidiae oblitus bellum moliretur Venetosque et Neapolitanos sibi adiungeret, alterum ut bello quod contra Matthiam Corvinum Ungariae gerebat omisso exercitus in Turcos diverteret Sfortiamque iis ducem praeficeret.

4. Oracii Romani ad Pium II pont. max. de pietate unde dicatur et quod quina pietas sit in Pio quemadmodum quinque lunae in armis designantur, prima in deum, secunda etc. ut in pr[oposito]. Est autem secunda pietas in patrem Silvium, tertiam celebrat clementiam qua in victos hostes uteretur, quartam nativae telluris amorem, artium ingenuarum studium poetarumque favorem ultimam.

Restat in laudem Francisci Sfortiae ducis Mediolanensis carmen quo ad bellum Turcorum eum incitaret simul cum tertio carminum ad Pium II destinatorum conscriptum, cuius e versibus miserrime est consutum et conglutinatum. Descripsi e codice 1437 Biblio-

1) Neue Jahrbücher 1903 I. Abteil. Bd. XI p. 115 N. 1.

thecae regiae Lucensis (Cod. Lucchesini N. 149). Poetae nomen omisit Mancini in indice cod. lat. illius bibliothecae (Studi ital. di filol. class. VIII, 1900, p. 214).

Porcariae ceterisque Horatii carminibus adiciendum putavi Petri de Godis Vicentini de coniuratione Porcaria opusculum, quo inde a Dominico Georgio, qui anno 1742 Nicolai V vitam a se conscriptam edidit, illius aetatis rerum scriptores fonte usi sunt haud contemnendo. Remansit autem ineditum usque ad annum 1879, quo anno typis exprimendum curavit e codice Regimontano M. Perlbach.[1] Quem codicem satis mendosum parumque accurate scriptum esse cum ipse vidit, tum O. Tommasinus[2] verba scriptoris multo melius potuisse constitui, si Vaticanum ille codicem adhibuisset, optimo iure monuit. Quem ipsius auctoris manu conscriptum esse non plane a vero abhorrere videtur, certe notae quaedam Pandectarum Codicis canonicorum librorum locos designantes vel ab ipso margini adiectae vel ex eius exemplari desumptae sunt. Quare cum e codice Vaticano quem contuli anno praeterito textum excutiendum putavissem, tamen ne exemplar quidem Regimontanum prorsus abiciendum videbatur. Nam cum non singulis modo verbis, sed etiam totis enuntiatis ab illo abhorreat, nonnulla addat, omittat alia, ex priore quadam dialogi forma eum redundare suspicari licet, ita ut codice denuo collato quae a Vaticano discreparent pro adnotatione addenda existimaverim.

Petrum de Godis autem iurisconsultum et iudicem iudicii quod dicitur appellationis populi Romani fuisse e registris quae dicuntur camerae apostolicae ostendit Tommasinus l. c. p. 69. Quem tota ingenii indole studiorum

---

1) Petri de Godis Vicentini dyalogon de conjuratione Porcaria. Aus einer Königsberger Handschrift herausgegeben von Dr. M. Perlbach. Greifswald 1879.

2) Documenti relativi a Stefano Porcari. Archivio della società Romana di storia patria Vol. III, 1880, p. 67.

ratione genere denique dicendi non renascentium litterarum aetatis sed medii aevi esse neminem fugiet, quicunque dialogum ab eo conscriptum legerit. Codices autem manu scripti, quibus opusculum Petri continetur, hi sunt:

1. Codex Vaticanus lat. 3619 membranaceus saeculi XV, chartarum XVI, forma octava, long. 0,21, lat. 0,145 m, cuius singulae paginae XXII versus continent. Prima littera dialogi coloribus illuminata est, margini adnotati sunt scriptura minore loci bibliae vulgatae, Pandectarum, Codicis, iuris canonici alia nonnulla.

2. Codex Vaticanus lat. 4167 chartaceus miscellaneus saeculi XV exeuntis, quem descripsit Tommasinus p. 69. Petri de Godis opusculum legitur a fol. 202ʳ usque ad fol. 210ʳ cum codice 3619 consentiens adeo ut ex eo descriptum esse plane appareat, praesertim cum notae quoque margini illius codicis adscriptae ipsaque in fine subscriptio inde receptae sint.

3. Codex msc. 26. 4° bibliothecae Wallenrodtianae, quae est Regimonti Prussorum. Descripsit Perlbach p. 11 editionis suae pauloque accuratius in ephemeride quae inscribitur Altpreußische Monatsschrift Bd. X, Königsberg 1873, p. 566 sqq. Addendum est in libro a bibliopego nuper resarto inscriptionem Georgii Rast qui eum bibliothecae donavit iam non legi omnesque nunc paginas numeris notatas esse. Petri opusculum legitur a pag. 487 usque ad pag. 498.

Codicum scripturam in omnibus gravioribus rebus secutus sum, alia leviora in eam quae nunc usui est scribendi rationem plerumque transtuli, praesertim cum interdum non sibi constent scribae. Scripsi ae vel oe pro e (pene, hec, prelium), ae vel e pro oe (soecula, loetum, foelix), v pro u, i pro y, tt pro ct (actoniti, actendere), c pro t (delitiae, dissotiabile), t pro c (acque, precium), m pro n (quenque, quanvis), itemque litteram s apposui in verbis exuperare, exilium, posquam etc.

INDEX

HORATIVS PETRO LVNENSI SALVTEM.

Alexander ille Macedo summus imperator regni fines dicitur fatigasse, ne quis ipsum alius pingeret quam Apelles, Pyrgotiles sculperet, Lysippus duceret ex aere, qui ea tempestate clarissimi plurimis imaginibus extiterunt. Verebatur enim ille, ne vili quodam exemplo eius memoria abolesceret, cum satis sibi nunquam laudari posse videretur et maiorem quaereret gloriam splendore artificis. Vereor ne summi pontificis aures offenderim, qui fulgorem suae maiestatis attingere ausus sim, cum vix illa ingenia, quorum praestantia laudes maiores efficiuntur, digna satis esse iudicentur. Nihil enim tam altum, nihil tam spectatae virtutis, quod summi pontificis meritum possit aequare. Verum otiosus pudoris fines volui praeterire et ex arenti ingenio versiculos cudere, quos ad te destinare decrevi, ut illos tuo iudicio damnares, ex parte saltem vel honestiores redderes. Tantum etenim tibi lumen eloquentiae ac litterarum doctrina refulget, ut natus ille tuus ex tuo fonte liquores abunde potuerit haurire. Ego vero is sum, ut cum me mea minime delectent, alios fastidire non dubitem. Verum qui vetustis novitatem, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam dare consuevit, ignorationi quoque meae poterit indulgere. Si quis virtutem felicitatem ac sapientiam pontificis digna existimatione pensaverit, profecto nullius antiquitatis memoriam sibi fatebitur comparari. Quis enim non miretur sanctitatem clementiam iustitiam pietatem ac mentis magnitudinem, quae tanta sunt, ut quam multa fieri non posse priusquam sint facta credamus. Tu igitur meas ineptias legere non graveris atque ea mente, ut te plane legisse intelligam. Vale.

Cod. 826 (Ms. var. 411) bibliothecae universitatis Rheno-Traiectinae. Oratius. p. luñ. sal. ‖ 11 iudicantur ‖ 18 habunde

I.

Divo Nicolao Quinto pont. max.

Nulla tuis possunt praeferri tempora praesul,
Redditur humanis gloria si meritis.
Quando magis licuit fructus sperare laborum
Vel potuit virtus laudes habere magis?
Sorte tua infecte cesserunt saecula vitae
Ferrea, iam redeunt aurea sorte tua.
Instituit cum te patrem pia cura tonantis,
Consultum voluit temporis esse malis.
Reddita tunc Roma est aevo felicior illo,
Quo nimium superis visa superba fuit.
Exuit implicitae dudum vestigia fraudis
Et sumpsit mores praesulis illa novi.
Non cupis ut libeat, sed quod fecisse licebit,
Iudicium pateris omnibus esse tui.
Virtutem ante omnes posuit tua vita labores,
Qua nihil in terris sanctius esse potest.
Luxuriae morbo nullum violata per aevum
Casta iuventuti fortia frena dedit.
Virtuti indulges nec munere vinceris ullo,
Quod solet in rara praesulis esse domo.
Gratia cuique tua est, dignis tua munera tantum,
Supplicibus meritis nulla negare soles.
Ad votum quamvis totus tibi militet aether,
Laudibus in primis gloria pacis erit.
Pax et amor deus est, nec nominis immemor huius
Esse soles, pondus qui pater orbis habes.
Haec tantum humanos caelumque et sidera fulcit

Et facit in patria vivere quemque sua,
Haec tibi templa dabit cumulata vaporibus et quae
Otia mortales commeminisse iuvet.
Vive tibi miles, praestant haec tempora pacem,
Proelia ne timeas; vive colone tibi.
Civica belligeri mutentur in otia mores,
Perpetuam pacem plausus ubique sonet.
Haud sinis armorum census haurire furores,
Consulis humanis utiliore via
Et modo desertos ruituraque templa penates,
Res modo moliris moenia quanta novas.
Termarum tractus licet et radiata Colossi
Culmina conspicuum fama loquatur opus,
Pyramidum quamvis molem sua sustulit aetas
Et sua Mauseolum vel Babylona ferat,
Quanta tuis quae nunc surgunt ad sidera rebus,
Nulla vetustati gloria tanta fuit.
Cernimus ingenti molita palatia sumptu,
Hic ubi curarum pondere lapsus ades,
Atque ubi curvatae fulget testudinis orbis,
Sacra ferunt matri templa fuisse deum.
Candida marmoreae torquebant tecta columnae,
Imbribus et longo quae maduere situ,
Alta quati et ruere coepere cacumina, dextra
Ni tua lapsurum restituisset opus.
Plumbea surgebant, nunc paene argentea: saeclo
Sed mage conveniunt aurea tecta tuo.
Nunc spectare iuvat munitam turribus arcem,
Ipsa licet nostras fulminet usque domos,
Tibridis hinc ripa est, et circulus undique claudit,
Durum opus hoc urbis anxia frena tenet.
Intrepidus transi pontem fluctusque ruentes
Desuper et fractas cerne viator aquas.
Mollius huic dudum ponti, nunc Firmius extat

41 substulit || 45 margini adscriptum: *Marie maioris* || 47 *Marie rotunde* || 55 *castrum stī angeli* || 59 *pons emilius*

Nomen: equo tutus seu pede carpe viam.
Ultima perpetuo domus est tua proxima templo,
Quo nullum Latio clarius extat opus.
Conspicuos ubi nunc postes et marmora cerno,
Sola erat in tanto paene ruina loco.
Sideream lustrasse suis fulgoribus aedem
Diceris, aeternum servet ut illa decus,
Vel quia divinum recipit domus ista parentem
Vel quia caelesti semper amata deo est.
Atria nunc auges et cingere turribus aucta
Niteris, ut fiat tutior illa domus.
Quae nunc Herculeis fulget virtutibus aula,
Maxima pars olim deficientis erat.
Tu pater in medio, tecum pia cura superni
Nexaque cum vera relligione fides.
Iura fovet pietas, et vertis in omnia mentem,
Iustitiae princeps et pietatis ades.
Nulla hic luxuries damnosa et stulta ministris
Otia, sed veri plena timore dei.
Deliciae studium sacrorum et cura pudoris;
Ante deum vitam ponere quemque doces.
Nunc pia libertas et erit te praesule nobis,
Cum verus patriae diceris esse pater.

Finit.

II.

Porcaria

Liber primus.

Insidias patriae qui struxit et arma parenti
Ipse parens refer et sceleri si Roma nefando
Annuerit: tenues nam si fragor impulit auras,

---

63 *palatium stĩ petri* ‖ Porcaria incipit

Romuleos iterum formidat curia raptus.
Tu potes obscuris fulgorem et lumina coecis
Incertisque fidem, levibus dare pondera rebus,
Tu mea Musa pater virtus mihi numen et aura
Ingeniique calor, nostro qui tempore solus
Vatibus extinctas refoves in carmina vires.
Haec mihi vix primum series pervenit ad aures.
Vt laqueo affectos vitam finire maritum
Germanum soror et natum mortemque nefandam
Audiit atque omnis cecidit fiducia vitae,
Inclusit lacrimas oculis et corpore toto
Sternitur; exangues vix spiritus errat in artus.
Illa velut gelidum suprema in busta cadaver
Membra tenet resupina solo pulvisque per ora
Spargitur inque humeros fusi cecidere capilli.
Quam simulac trepidae videre per atria natae,
Actutum accurrunt, alternae in brachia matrem
Suscipiunt tenuemque animam per mutua quaerunt
Oscula, ut extremae valeant succurrere luci.
Ut gelidis vires membris et anhelitus ori
Redditus atque oculis lux intercisa refulsit,
Aspexit coelum rupitque in verba dolorem:
Heu nimium infelix genitrix et nupta sororque,
Quam crudele tuens natum fratremque maritum
Supplicio afflictos fatis cecidisse sinistris!
Quos ego nunc gemitus, quae iam lamenta dolendo
Ordiar? anne virum nato fratremne marito
Anteferam lacrimis? Pietas simul aspicit omnes,
Omnibus unus amor. Te te, qui causa malorum,
Frater, et ingenti nos implicuisse ruinae!
Heu nimium tibi fidus eras — quae dira libido
Quisve animum deus in facinus mentemque resolvit
Militiamque trucem et vetitos sperare triumphos?
Quod decus aut quantum sceleris tibi gloria laudis
Haec potuit conferre, licet fortuna labori

---

22 obscula

Faverit et diro spirarint numina voto?
Romanis decor unus eras, quibus obruta virtus
Fulsit et externae per te fuit aemula laudi.
Nonne satis fama celebris nullique secunda
Laudibus aucta tuis domus illustrata triumphis
Portia, divinos tulerit licet ipsa Catones?
Servitio qui te quamquam vetuere potiri,
Non tamen humano scelerare in sanguine dextras
Exemplo docuere suo nec mergere cives.
Nunc inhonora domus patriae illatura perenne
Dedecus et tristes aeterna in saecula luctus.
Non solis radios in te spectare cadentis
Fas erit aut lunam tenuem nec sideris aethram . . . .
Umbrarum sedes et nigrae mortis imago.
Consilium insulsum, cum libertatis ad urbem
Sic te traxit amor, lueres ut crimina tantum.
Ah quanto melius gelida tibi ferre sub arcto
Exilium gravius vel honestae occumbere morti!
Ad te nunc lacrimas coniunx miserande revolvo,
Cui requiem et somnos atque his in finibus aevi
Otia defessae licuit sperare senectae.
Unde animi in facinus tantum furor impius hausit?
Iam manus imbellis senioque refrixerat ardor,
Te noctu amplectens potui sentire quid esses.
An superum instinctu mundumque regentibus astris
Credideras impune tibi tam saeva licere
In scelera et patres iam conspirare verendos?
Quis te autem sinat imperio sceptrisque potiri?
Te penes orbis eat, nutu tibi militet aether
Mitior, aequatus iam iam prope sidera regnes:
Quid poteras optasse magis? Tibi larga facultas,
Ampla domus meritis et nati et munera et aurum,
Quanta valet cuiusque animus sperare modesti.
Imo ego te, quando fratri malesana timebam,

---

post v. 51 unus vel plures versus videntur excidisse ‖ 55 artho

Exposui fatis, ego te furibunda coegi
Occuluisse nefas precibus lacrimisque reflexi,
Saepe minis, fratrem et facinus ne prodere velles.
Plus Eryphilea nocui temeraria fraude.
Imperiis inhians excellere cultibus illa
Traxit Apollineum latitantem in lumina vatem.
Hoc efferre nefas casus ignara futuri
Te vetui coniunx maioraque viribus ausa
Speravi titulis omnes anteire Latinas.
Successus reor oblati, quos improbus urget,
Paenituisse deos: nam si mala sidera culpae
Inclinant animos, fuerat tolerabile factum.
O nate infelix, qua te sub nocte futurum
Exitio patriae concepi, exhausta fuissem,
Dum furiis uterum Veneris saturata replevi!
Importuna thoro cum primum enixa iugali,
Thesiphone ostetrix partus et alumna maligni
Affuit: illa suo produxit pignora voto.
Tune etiam teneris tantum scelus ausus ab annis?
Quem patri comitem misero dedit exitus idem,
Non potui medium prima te elidere vita
Visceribus ruptis vel abhortum effundere partum?
Ah saltem poteras dignus pietate videri,
Ni tentasset atrox Romanum iniuria patrem.
Imo ego non ausim tanti consortia leti
Rumpere, vos potius comes expectata per umbras
Insequar. O miserae tantos abolere dolores
Da mihi morte pater simul et requiescere in urna!
Quin vive ut merita es tenebrosa in tempora luctu,
Sit tibi vita super, qualis Penteya mater,
Cum caput avulsum, cum brachia trunca videret
Sanguineque aspersos nati crudeliter artus,
Aut ubi cum pelagus volitare ad littora corpus
Prospiceret Polidori animamque hauriret in undis

---

amphiaraum *agaue* *pentei*
78 vatem ‖ 93 Nun ‖ 102 mater ‖ 104 nati

Orba parens flentem et lacrimantia solveret ora,
In rabiem longis feriens latratibus auras. —
Sic effata silet, vocem clausere dolores.
Tum meritis gravis et pietate insignis Aletes
Condolet afflictae, quamquam domus omnis inundet
Luctibus, amissis tandem pia verba resolvit:
Aeternum primis etenim mortalibus ex quo
Fulsit humus, nulli est hominum fortuna secunda.
Divitias livor, virtutem offendit egestas,
Ardua successus raro complectitur ausa.
Nil solidum est orbi: bellis insignior ille,
Iustitiae sed laude minor. Per singula quemque
Nobilitat virtus; felix qui protinus omnes
Composuit mores in relligionis amore.
Tu tantum humanos casus et fata recense
Fortunaeque vices fallacis: ad aethera dudum
Te tulit una dies et te simul una reduxit.
Desine germani lacrimis incendere manes,
Ille dedit mites poenas non aspera passus
Supplicia: at pondus tantum deforme pependit,
Cum licuit totum membris divellere corpus
Et raptare solo et canibus dare viscera saevis
Aeternumque viri nomen damnare per orbem.
Nonne satis totiens fuerat violasse quietem
Urbis et insano populum miscere tumultu?
Exulis hi mores, haec est pia causa modesti
In patriam reditus, ut acerbo funere mergat
Pontificem et patres urbemque a stirpe revellat
Totque animas leto afficiat, dare cuncta ruinae
Incestare sacrum facibus pia templa laboret
In praedamque domos, conspergere caedibus aras
Et ferro et flammis coelum rescindere tandem?
Vos igitur monitus tenerum, quos nulla per aevum
Cura movet, misera confecti in sorte parentis

---

heccub
107 parens

Discite, ut aeternum sint haec monimenta futuris:
Felices illi, quorum laudata per artes
Vita rudis: simul et fragiles contemnere fasces
Imperium et pompam et sceptra exitialia possunt. —
Dixerat, et diri geminantur ad aethera planctus.
At manes illi pariter per inania tracti
Desiliunt — raptis quid enim velocius umbris? —
Per loca perque vias steterunt Acheruntis ad undas.
Verrebat tenues animas per flumina Charon,
Cum procul hos Stygia fatur speculatus ab unda:
Dic age, qui te agitent miles Romane furores,
Quae scelera et casus superique in luminis usu
Edideris delicta? Nitent tibi purpura et aurum
Militiaeque decus, sed livida colla rudenti
Nexus et elisum iugulum declinat in armos.
Indignatus eques: Quamvis haec littora serves,
Dire Charon, culpas hominum vel crimina certe
Non tibi nosse datur sontes nec volvere poenis.
Remigio tantum et velis impelle carinam,
Transvectare animas. Sursum cur tollere cessas
Romanos? Ille ad ripam convertere puppim
Nititur atque omnes secum tulit improbus umbras.
Ultimus extremae latitans post terga carinae
Stat gener affixus lateri per inania pendens,
Nunc pedibus luctans, manibus nunc transtra fatigat,
Nunc capit ore ratem, donec manus utraque laxa est.
Decidit infelix, sonitum dedit ictus in undis;
Stridenti virides vocem clausere liquores.
Ille diu quatiens per rupta fluenta lacertos
In caput inque humeros versim resupinus abundis
Praecipitatur aquis variosque rotatur in orbes.
Vorticibus raptus fluviique in tartara mersus
Nunc sursum, nunc infra agitur, nunc brachia versans
Volvitur illisus scopulis nunc restat et undis.
Illum inter cumulos flammarum et sulphuris auras

---

145 plantus ‖ 146 Ad ‖ 149 Vergebat

Caeruleis stringunt circum fera pectora nodis,
Orbibus implicitis glomerantur in ora cerastae.
Non sic ramiferae circum sua robora vites
Aut hederae inserpunt nodosae brachia quercus.
Sic iacet aeternum rapidis ludibria ventis.
Natus ad haec trepidus convertit lumina solus,
Pectora nunc quassans, nunc crudus in ora superbit
Unguibus, in superos voces nunc asperat ira,
Liventes oculos tandem manus impia vulsit.
Proiecit lucem in fluvium, mox dira profatur:
Dii quibus iratis egi mala tempora vitae,
Tartarei manes et tu Lucina parenti
Quae miseros partus intempestiva dedisti,
Eumenides omnisque chorus lataeque tenebrae
Infernorum operum, caeci miserescite nati!
O furor, o rabies, rapti mala fata parentis!
Vos saltem obtestor, simili me affligite casu,
Crudeles divi! misero per singula letum
Impendunt mihi fata malum: vel Cerberus ossa
Conterat et diri lanient mea membra colubri.
Heu dolor, ante annos inhonesta morte peregi
Lucis iter: iugulo patri comes ipse pependi.
Cur vetor infelix nigras comes ire per umbras?
Intercepit enim gressus per flumina casus.
Sic ferus obscuras diris ululatibus auras
Perculit, invisa donec descendit ab unda.
Illum flere vetat miles turbatus et ipse
Ingerit in superos. Novit mala fata diuque
Haeret et his gravius poenis meruisse fatetur.
Expositi ad ripam tendunt per opaca. Nepotem
Fallit iter caecum: imprudens per devia callis
Incidit, horrendum latrans ubi Cerberus umbras
Devorat. Hic iuvenem quassis per colla colubris
In nodo arreptum pedibus simul implicat uncis.
Stat superincumbens, laceros rimatur in artus
Viscera et haerentes circum praecordia fibras,
Luxurians nunc huc, nunc ora retorquet et illuc,

Nunc capita attollit, terno nunc latrat hiatu,
Nunc furit, alternis laniat nunc morsibus artus.
Immixtus sanie fauces interfluit ater
Sanguis et argutis crepitant sub dentibus ossa.
Ille nefas sensit longeque remotior ipsum
Declinavit iter; solus per tartara praeceps
It lacrimans rapti repetens nunc fata parentis,
Nunc generi: cursu tantum festinat anhelo,
Donec ad inferni pervenit iudicis urnam.
Obvius huic primo pallens in limine morbus
Et scelus et rabies facinus furor impetus amens
Seditio et raptus, lacrimans cum funere luctus
Iraeque insidiaeque et regni saeva libido,
Dira fames, curae insomnes atque aegra senectus,
Tempestas, metus et mortis truculenta voluntas.
Tum prior huic Mynos: Tibi cur violentus in ore
Stat furor et fractae rumpunt fera murmura voces?
Fare tuos casus sceleratаque tempora vitae!
Nil furor hic umbris nec verba minantia prosunt.
Ille ad humum torvus deflectens lumina fatur:
Arbiter umbrarum Mynos, male cuncta ministrat
Impetus et finis tantum laudatur in actis.
Insidias totiens patriae patribusque parantem
Turbantemque animos populorum urbisque quietem
Me pater exilio sanctus proscripsit honesto;
Munus et aera dedit civem miseratus egenum.
Hac dignus pietate fui, dum pectus Erynis
Inflammavit atrox regnique cupidine tinxit.
Tunc ego mentis inops furiali concitus ira
Multa parans animo leges et foedera rupi
Exilii et furtim Latiam sum vectus ad urbem,
Infensus patriae dominoque parentibus et diis.
Delitui ad generum, traxi in mea vota nepotem,
Quos mea causa simul iugulis affecit utrosque.
Mox alios furto implicitos vel sanguine mecum

213 actollit hyatu ‖ 219 lacrhymans ‖ 224 lachrimans

Ad mea tecta voco iuvenes, quibus omnis edendi
Gloria et aeterno vitam consumere ludo,
Pollicitis duxi variis, sermone furentes
Inflammavi animos, non dissociabile cuique
In facinus votum statui: Quonam usque feremus
Exitiale iugum? Clero servire coactis
Continuo vitam in tenebris et tempora luctu
Deplorare licet: postrema per omnia ducti
Vivimus imperio, quorum producere pompas
Est amor et spoliis culti ditantur et auro
Viribus obnixis et nostro sanguine partis.
En haec barbaries! quando haec mutabitur aetas?
Nonne viri sumus? O quondam Romana propago
Felix prole sua, quae libertatis amore
Insignes animas pulchrae per vulnera morti
Exposuit vitam statuens pro laude pacisci.
Quid totiens referam Brutos Deciosque, Catones
Et Furium et Drusos, insignes laude Metellos,
Vos Fabii, vos Coclites? Ego solus in urbe
Caesar et aspiciam dictator ab arce Quirites.
Ipse ego iam dudum auratis vincire catenis
Aut ante ora deum sacrum mactare parentem
Constitui atque omnes in praedam vertere cives,
Extirpare genus, totas rescindere gentes.
Tunc ego vos meminisse volo, victoria quando
Annuerit, quantis opibus cumulabimur omnes.
Non opus ardenti bello, depellitur aura
Gens ignava; manus durus quibus asperat ensis,
Hos pecudes nobis, ipsis nos esse leones
Credite: lanigeras tondebit quisque bidentes.
Pugnaces animae nobis et pectora molli
Non violanda manu; nihil hic mortalibus ausum
Consiliis, sperate, dabunt pia numina regnum.
Lectus ego augurio, tantis datus auctor ab astris.
Si iuvat interdum nostrum meminisse malorum,

262 pulcrae

Cur dum fata parant felicia tempora nobis,
Non iuvet et libeat tanto nos munere fungi?
Fulsit amica dies, squalore et sanguine turpes
am satis externae luimus periuria gentis.
lagnanimos fortuna viros illustrat et auget.
lt nos fama canet populos vulgata per omnes
lsse viros, iterum nostris sub legibus orbem
npelli et veteres iam reddere posse triumphos.
annibal hic fiet, hic Hector, hic inclitus armis
artius, hic Pyrrus; largos habitare penates
u poteris, tibi longus honos, tibi finit egestas,
ivitiis polles, quantas tulit ante Lucullus.
uic ego iam scio quid — qualis latura ministrat
ater inornatis iam plurima dona puellis,
illexi iuvenes, quos in mea vota reduxi.
il valet heu virtus pugnantibus ardua fatis.
nsit adesse dolos pater: omnis et ardor et ausus
ssit enim, cinxere meos longa agmina ferro
lta lares, postquam nostris cecidere furores.
litui — mallem medios rupisse per hostes
minus et pulchram properasse in vulnera mortem.
eravi latebris; sceleri conferta virorum
bora dissiliunt, agitat spes ultima vitae
ecipitatque viros. Clipeata per agmina quidam
nc dextra, nunc ille humero, nunc percutit hasta,
nc cubito ad terram multos prosternit et ensem
ilat atque aciem ferri venientibus offert
tibus: hic magni nomen meruisset Achilli.
ata est fortuna virum: fugitivus et haerens . . . .,
ndo ego nil fidum aspexi fractusque ruina
latebris clausus iacui sub tecta sororis.
c me confectum somno curisque satelles
tivum oppressit; nigra sub nocte revinctum
am ad Tibrim miserum detrusit in arcem
ugulo pendens solvi pro crimine poenas.

---

303 pulcram ‖ post v. 311 aliquid videtur excidisse

Nunc me sublimem volitant per inania venti
Et soror ad superos lacrimans mihi funus acerbat.
Occupat hunc etiam velox Cathilina loquentem,
Qui procul astabat mediis annixus in hasta
Coetibus; hunc laetus sese superare fatetur
Cominus ora ferens equitique illudere gaudet:
Qua dignum te laude feram? Da tangere dextram,
Qui patriam et sanctos ausus violare penates.
Tu quoque fortis adhuc sero licet ordine famam
Illustrem meruisse potes: mihi denique quondam
Effulsit dubio similis fortuna sub ictu.
At Caesar totis fortuna est viribus usus
Successuque meos ausus meliore sequutus.
Magniloquax miles, merito genus omne furorum
In te ferre licet, quando furiatus in orbe,
Cum patriam offendis, medium te dissipet axis.
Iam magis ausus eras — maior tibi gloria: maius
Supplicium expectes: omnes cumulentur in unum
Eumenides. Liceat nobis requiescere, quando
Concomitata tibi scelerum tormenta fatiges.
Interea Tytion laniare in viscera vultur
Et raptare novem cesset per iugera corpus.
Tantalus ad votum fugientes hauriat undas,
Sysiphon atra silex, Ixiona nulla fatigent
Supplicia et sontes Lapithas sua poena relaxet.
Cum totiens superis et vana et ficta loquutus,
Falsa minutatim saevis lanianda colubris
Lingua dabit poenas, ausus violare parentem
Diripiere solo lorisque trahentibus artus
In diversa citae raptent tua membra quadrigae,
Incestare sacrum longo execraberis aevo,
Pulvereus rapidis iactaberis undique ventis.
Tum Cato pectus adhuc perfusus sanguine fatur:
Iure verende Mynos, si qua est tibi cura Catonum,
Hoc intende: virum quo non iactantior alter

---

341 isiona || 342 laphitas

Ad superos vixit voveo, qui Portia finxit
Nomina de porcis titulique ascripsit honorem
Gentibus obscuris. Vnde hic sceleratior extat:
Num puduit claram prolem virtutibus olim,
Jnde tot illustres fulsere ad sidera cives,
)ffendisse hominem et rigidos lusisse Catones?
Quid poteras vesane? Pium violare parentem
ιusus es atque ipsum mactare in limine templi,
'raesule quo nostrae libertas gratior urbi
[on fuit aut maior viguit pietatis imago.
alia dum ferret, latum quo cinctus ad ensem
nposuit dextram miseri iugulumque sinistra
ngit et infrendens: Minima ni plebe fuisses
ıferior, pudeat scelerare in sanguine ferrum
t vili et tetro iam degenerare Catonem.
ı tamen adde Mynos: ausus temeraria quando,
ruat hic mersus tenebrosa in tartara praeceps!
ınuit his iudex, poenas mox fata sequuntur.
Interea vox est diversa per agmina sursum
niuratorum laqueo data corpora morti
poenas scelerum simul et pendere sub auras.
dique fervet iter, speculisque per avia longe
enti nequeunt oculos satiare tuendo
tonitique monent patres attendere natos
conferre volunt casusque exposcere tantos.
ait: „Audaces animos et pectus et iram
patriam et sacrum miles tulit iste parentem:
idit fortuna ausis ingentibus.“ Alter:
ıta mihi ante alios huius facundia linguae
vitia et virtus.“ Melior cui pectore mens est
iciumque — equitis novit per singula mores:
lli consilium minus aut prudentia fulsit.
a hominis virtus; tantum super ardua pendens
ebat nullo fluitantia pondere verba:
patriae vindex nostroque in tempore rursus

356 Nun

Brutus adest, alii caelo cecidere Catones!
Sed cum tela manus poscunt, dum vulnera tractant
In facinusque ardent animi, dum tempus agi rem,
Delituisse iuvat tenebris, ut nocte satelles
Captivum trahat et sceleris luat inde furorem.
Excitat interdum vires timor: omnia virtus
Audet et a nullo confunditur ardua casu."
Felix Roma! novus Caesar delapsus ab astris,
Qui mare, qui terras populosque et regna sub uno
Conferat imperio et fama conterritet orbem,
Unde viros rerum dominos sua gloria coelo
Aequabit meritis et tollet ad aethera virtus.
Quam male sanus erat caecaque cupidine captus!
Quod non mille manus belli, tot fulmina et arma,
Tot populorum acies, tot longa in saecula reges
Totque duces clari bello nec terror ab oris
Hannibal Alpinis potuere in moenia Romae,
Hic sibi iam suasit. Quanto tulit omnia fastu!
Hunc auri scelerata sitis nimiusque rapinae
Incestabat amor. Statuit natura beatos
Esse viros, si qua contenti sorte manerent.
Sed vitio impliciti rabieque libidinis annos
Ante ipsos teneras foetus truncamus in herbas
Virtutum, ut flores nequeant producere fructus.
Si memorem annales primaque ab origine Romam
Ordiar, hanc primum fraterno sanguine tinxit
Romulus et rapuit violato foedere nuptas.
Viximus ex rapto nec diis nec legibus ullis.
Quod libuit tantum fuerat Romana potestas
Regibus: hi solo ductabant singula voto.
Filia non miseri carpentum in corpore patris
Erubuit largoque rotas agitare cruore,
Deturpare lares, opibus regnoque potiri
Per scelus. Heu fatum pervenit adusque minores.

---

tullia
405 faustu ‖ 412 in marg.: *primus status urbis* ‖ 418 Filia

En tibi prisca fides! Tenuit mox Roma secundum
Consulis imperium, quod stupro et sanguine partum est.
Qui primum saevas pro libertate secures
Instituit, natum leto nova bella moventem
Implicuit Brutus. Patriae fuit una voluptas
Fortunam stabilire et debellare tirannos.
Floruit illa tamen multis virtutibus aetas.
Nosse modum iuris libertatemque tueri
Bellorum studiis potuit tunc Martia Roma.
Digna fuit totum quae viribus occupet orbem.
Non cives auri rabies nec dira libido
Imperii traxit, sed famam extendere caelo
Laudibus ac meritis et duros ferre labores.
Tunc rudis imposito vivebat consul aratro;
Fabricius parvo contentus munera regum
Despexit, potius voluit dominantibus auro
Iussa dare et forti bellum decernere ferro.
Hinc Fabii ingentes Catulique et fulmina Martis
Scipiadae, quorum virtutibus Itala tellus
Claruit et rerum princeps Mavortia Roma
Orbe triumphato sacrum caput intulit astris.
Verum vana viris pietas cultusque deorum
Illusit, tulit externos ad sacra penates
Aut dedit ipsa deos; numen sibi quisque dicabat
Fingebatque Iovem Venerem Martemque Minervam.
Festivare dapes et odori pocula Bachi
Vertere, nocturnas tyrsis agitare choreas,
Debachari homines, sanctum violare pudorem
Relligionis erat, donec pia cura superni
Sanguine restituit deperdita saecula nati.
Consulis exactae postquam cessere secures,
Publica res urbis mox est effecta sub uno
Imperio: hic omnes complectitur una potestas.
Quis referat, quantis Latium, quibus arserit armis

---

422 in marg.: *Secundus status urbis* || 453 in marg.: *Tertius urbis status.*

Ausonia, utque omnis bello flagraverit orbis,
Vulneraque et strages Romani sanguinis actas!
Exitium quod Roma tulit! Communia Caesar
Iura ferox in se leges et pacta resolvit,
Solus in arbitrium totum sibi contulit orbem.
Mox alii atque alii, donec volventibus annis
Res Romana ruit, maculas deduxit aniles
In senium vergens tristique ac curva senecta
Decidit et tenues paulatim effluxit in umbras.
Nil adeo insigne est, quod non exacta vetustas
Laeserit et longi labes madefecerit aevi.
Tum deserta pio tandem data Roma parenti;
Redditur imperium ecclesiae, quod praeda reliquit.
Hic pia libertas maculis servilibus aevum
Abluit, et caelo placuit Romana propago.
Inde fides et relligio sanctumque piumque,
Incestare nefas ignique adolere penates
Et simulare deos et inania numina credi.
Roma diu postquam vario sub praesule vixit,
Diversis agitata fuit per saecula fatis.
Plurima nunc pollens, nunc sorte involvitur ima,
Nunc tremit et stabili pedibus nunc robore firma est,
Ut solet atra dies commota per aequora iactam
Disturbare ratem, ventis nunc obruta sursum
Nunc redit, interdum scopulis illiditur et nunc
Fluctibus aequatis stabilis persistit in undis.
Pontificum in terris quocunque in tempore fulsit
Legibus ante alios status et pietate per omnes
Iuris honor valuit, sed nos meliore parente
Pontifices inter fruimur, miseratus ab alto
Quem pater aethereus contraria fata rependens
Ductus amore dedit, legum quo principe virtus,
Quo tranquilla quies fulget, quo paxque piumque
Iustitiaeque decus, qualem non pertulit aetas
Nostra nec antiquis potuit conferre vetustas.

---

467 in marg.: *Quartus urbis status.*

Nunc pudor et pietas, fructus sperare laborum
Nunc licet, et grati redeunt virtutibus anni.
Nunc et relligio (ni nos malus inquinet error)
Ad superos ostendit iter per levia sursum.
Heu nimis immensum vitiis patefecimus aequor!
Quando magis viguit, nobis clementia maior.
Nuper enim indoluit cives damnare rebelles,
Non odium sed causa fuit: licuisset in omnem
Progeniem saevire, in pignora non tamen iram
Protulit. Enixus maculas abolere pudendas
Alloquio mitis genitor non plurima questus
Solatur populum. Solium ne hoc civibus, inquit,
Deficiet nec nostra suis clementia rebus.
Vidimus infractos cunctorum animumque fidemque
In nos, virtutem merito laudamus in omnes
Et patriae et gentis nunquam meminisse pigebit.
In vestris omnem gremiis audentius urbem
Vel bello vel pace damus. Simul oscula cuique
Delibat gaudens patulisque amplectitur ulnis.
Heu nos ingrati, felicia tempora quando
Pensabunt lacrimae: laeti reminiscimur aevi,
Cum redit infelix, fluctus contemnit et iras
Aequoris, optata potitur cum puppis harena.
Cernimus Italiam regisque ducisque sub arma
Implicitam furiis bellorum et sortis acerbae.
Nos vero immunes belli circumque ruinis
Inclusi nulla tamen obsidione tenemur.
Felicem tanto vitam sub principe tuti
Ducimus et nulli rerum violata facultas,
Finibus aut agris pellit vis nulla colonos,
Non laribus miles veteres detrudit avitis.
Quot pietate viros patria vel honore carentes
Sustinet, a propriis laribus quos depulit ira
Principis, exhaustos opibus miseratus egenos!
Praemiaque impendit meritis et praemia dignis,

513 pupis || 521 Num

Quanta vel ingratus vel qui tacet invidus extat.
Hei nimium invisi superis: felicibus annis
Vivere nescimus miseros nec ferre superbi
Possumus humano necdum mansuescere cultu.
Quid totiens strepitus et inania nomina rerum
Fingimus elati? Facimus fundamine nullo
Culmina. Quid totiens totiens totiensque vocamus
Libertas? Quid concilium, quid publica res est?
Et quid Roma valet nobis ubi curia cessat?
Illa mihi visa est digno sub principe vera
Libertas. Felix nos cura tuebitur omnes,
Plebis in arbitrium dabitur cum summa potestas?
Fallitur heu nimium sancto sub praesule quisquis
Imperium et mores longe indignatus abhorret.
Ingrati quantos superis debemus honores,
Cum dederint nulli dominum pietate secundum,
Cui nec prisca parem meritis nec nostra tulerunt
Saecula nec similem poterunt praestare futura!
Hic hic rector adest, qui maiestate verendus
Sanctior insurgit tantoque in culmine rerum
Iustior et toto longe sublimior orbe
Mitior ex alta mortalia despicit aula.
Sic ego, plura loqui nox circumfusa vetat nos.

Liber secundus

Liquerat interea candens Aurora cubile
Coniugis et radiis orbem lustrarat Apollo;
Quisque suas artes variis operumque labores
Prosequitur studiis. Turbant nova funera mentes
Implicitum sceleri: secreta per avia furto
Tendere quisque fugam tremula nec tutus ab aura
Nititur atque equitem longe execratur et odit

---

532 totiens totiensque totiensque || post v. 537 signum interrogationis posui || post v. 548 *Finit primus incipit Secundus*

Emissumque atra rursus tellure Tipheum,
Qui superos ruere et caelum rescindere certet,
Quisque refert. Gemit ille suos liquisse penates,
Hic patriam et longa confectum aetate parentem,
Plorantesque alius gremio consortis alumnos.
Illum vexat amor, facinus formidat et ardet
Coniugis amplexus: Quis te nova nupta fovebit,
Frigida cum lacrimis oculos tumefacta iacebis?
Quin etiam sceleris trepidant meminisse nefandi
Damnatique ausus miseri si posse liceret
Paenituisse volunt lacrimas vocesque profusi
Talibus errantes feriunt conquestibus auras:
Quis deus in fraudem, quae nos insania traxit
Attentare nefas? Sanctum lacerare parentem
Et violare sacrum populosque in pace repostos
Vertere in arma simul civesque agitare tumultu
Non puduit miseros. Quid enim crudelius usquam
Prospexit tellus monstrumque infame per orbem?
Ora virum vivos nos et post fata loquentur.
Nec minus attonita (quamquam timor absit) in urbe
Flebilis auditur questus: gemit illa maritum
Germanumque soror, profugum dolet altera natum,
Quisque suam maeret sortem, dolor undique laxat
Fletibus ora piis. Triplici tum funere maesta
Magna parens equitis (tantum dolor ultimus angit)
Canitiem evellens terraeque illisa furentis
More ruit laceroque super procumbit amictu,
Lumina nunc palmis, nunc unguibus ora lacessit,
Nunc resupina solo, nunc prona exasperat iras
Crudelis divos crudelia sidera clamans.
Dira manus ambas nudosque elisa lacertos
Concutit atque animam paulum miseranda resumens
Iam conata loqui. Miserae dolor anxius ora
Occupat, exangues arescunt luctibus artus.
Quis poterat lacrimis non indulgere, cadentem
Exanimem quando convexo in limine matrem
Singultu medias intercidente querelas

Viderat, ut nati fleret scelus orba senectus
Funeraque et tales absolveret ore dolores:
Obvius hosne mihi lusus, haec gaudia matri
Nate refers tandem? Fessae post longa senectae
Exilia haecne quies? Quotiens noctesque diesque
Errores deflens, ne quis tibi casus obesset,
Vota dedi superis, cumulatos thuris odores
Saepe tuli ante aras exoratura tonantem.
En caeli pietas! Sic te videt anxia mater!
Qui nunc fulgor eras populis, spectacula pendes.
Heu quotiens patriae luctus et bella parenti
Nate minabaris populumque involvere praeda!
Nunc ego praeda feror! Miseraene haec munera matri
Haec mihi dona refers, et regna et praemia sunt haec,
Quae mihi pollicitus, cum blandus ad oscula dudum
Fovisti algentes lacrimis gaudentibus artus?
Speravi requiem, veterisque iniuria facti
Iam poterat desisse: dedit nova causa malorum
Supplicia afflictae longe graviora senectae.
Heu dolor, heu lacrimas — extremo in funere nullus
Inferiasne ausit tenui producere pompa?
Sicne ille exilio quondam miserabilis ad me
Expectatus ades? sic me complexibus ambis
Languentemque tenes? quor fata infausta sequuntur
Exortem culpae et tristem sine crimine vitam?
Hei mihi secretis scelus occuluisse latebris
Cura fuit miserae: sic ire ad sidera rebar
Sorte tua partis olim decoranda triumphis.
Heu heu nate decus dudum et nova gloria matri,
Nunc dolor et lacrimae populoque urbique tuisque
Dedecus aeternum! Quae non memoraverit aetas
Tam crudele nefas, simul et damnaverit orbis!
Frondebit tellus, dum sidera fulciet Athlas;
Dumque auras ferient volucres et squamea pontum,
Tantorum scelerum Romam meminisse pudebit.

---

45 et nati || 60 Fovesti || 65 Inferiasve

Dicebam infelix: Per te mi nate meamque
Canitiem obtestor, nostros orbare penates
Ne properes, animis iam frena calentibus adde.
Si te verus amor, pietas si vera teneret,
Non patriam insidiis divum nec fraude parentem
Captares. Patres abolere in pace repostos
Quid nisi triste malum? Nimis o fera gloria regno
Ventosumque decus tumidum te insistere suasit.
Quam melius teneris animam vagitibus olim
Inclusisse tibi, sceleris dum nescia tanti
Mens fuit atque aetas poterat minuisse dolores
Nondum luce graves et pubescentibus annis!
Iam iam parta quies populis et funere vera
Libertas sancita tuo est; scelus omne recessit
Et furor. Huic tantum miserae fortuna superbit.
Quid moror? amisi natum! Num tempus acerbis
Iam poterit tantos lacrimis lenire dolores
Plus mihi morte graves? Totosque in luctibus annos
Exiget infelix annis glomerata senectus.
O dii si vestrum est misereri et parcere victis
Aut si qua est pietas usquam mortalibus, auras
Aetheris invisas tenuemque includite lucem,
Figite qui valuit tantos peperisse furores
Infelicem uterum iustisque exurite flammis,
Dum dolor exuperat vires et lumina vitae
Obruere affectat nigrae spes anxia mortis. —
Desinit in lacrimas, iterum furiata seniles
Sanguine perfusos vultus laniabat acutis
Unguibus et terrae frontem concussa recumbit.
Nec minus horrendo diversa in parte tumultu
Miscentur manes; rapiunt genus [omne] furorum
Eumenides rapiuntque virum feriuntque ruuntque,
Viscera collacerant et aduncis unguibus acres
Vulnificos raptim exercent per membra labores.
Unde duces bello clari, qui proxima servant

---

110 deest *omne*

Arva piis, dubio simul obstupuere tumultu.
Quisque ad tela ruens quae tum dabat impetus arma
Corripiunt, tamquam vivos fera bella fatigent,
Iamque acies strepitus incendia et arma ruinas
Ante oculos volitare putant. Stupet inscia rerum
Turba ducum, ante alios qui primus in agmine praestat
Scipio, cui tantos dedit Africa victa triumphos.
Assurgens cubito intrepidus circumtulit hastam,
Cui tum nixus erat: Nondum vetus excidit ira
Atque iterum insultat nostrae ferus Hannibal urbi
Excidium referens populis Latioque ruinam
Aut Pauli ante acies insignem quaeritat umbram.
Ibo animis contra: nunquam mihi gloria maior,
Vincere quam Poenos urbem patriamque tueri.
Prosiliens raptim gressus per opaca nocentum
Tartara tendit iter, passim circumspicit umbras
Pallentes Erebi Stygiae noctisque tenebras.
Dirarum furias tantum crudescere sentit
Unius in poenas stimulisque agitare colubras
Horrescitque tuens: „Patriaene hac sorte rebelles
Plectuntur miseri dominisve infanda parantes?
Heu tibi dire deis miles! me me indice saltem
Debueras superum et patriae non temnere curas.“
Tum magis insultant furiae, magis urget anhelas
Ira deas. Diro flectebat ab omine vultum
Scipio, nam patriae pietatis imagine raptus
Tot scelerum poenas longe indignatus abhorret.
Tartareis postquam sacrum caput extulit umbris,
Luminis et caeli fruitur melioribus auris;
Ad tumulum rursus mortales induit artus.
Hic simul ossa nova glomerari in carne videres,
Atque ipsum liquida spirare in voce cadaver
Pallentesque animam sensim vegetare per artus
Coeperat et prisca fieri gravitate verendus.
Ille sepulcrali respersus pulvere pectus

---

130 herebi || 135 parentes

)iscutit, inde humeros pallentiaque ora genasque
)etergit manibus, nigranti aspergine tinctos
/entilat inde pedes, meliore afflatus in aura
ie videt agnoscitque homines Latiumque locosque
'arpeiasque procul quondam Capitolia rupes,
[inc Tuscum Tibrim et Carmentis moenia vatis
'atidicae, quae non cecinit nova casmata Romae.
'ix pedibus superinsistens pavidusque tremiscit
'irgulti in morem, donec vestigia pressit
ortius et robur gracilis natura recepit.
cior igne Iovis rapidisque citatior austris
micuit macies pallorque recessit ab ore.
ırpit iter validus, tandem super astitit urbi.
iratur campos raro sterilescere cultu,
iratur niveas pecudes errare per agros
ɔrcorumque greges patulosque in cornua tauros
; genus omne simul pecorum, genus omne ferarum.
.siectas hinc inde domos veterumque labores
ıdique collapsos, turrita palatia quondam,
ınc aequata solo, celsi radiata Colossi
lmina et ingentes quas ipse instruxerat aedis
fecisse videt, simul et traxisse ruinas
mpla deum, fractas hinc inde astare columnas.
n spirare animas, vivas iam reddere voces
.rmoris hinc formas, passim nisi fracta iacerent
mbra, videt veterumque animatas paene figuras,
te triumphales titulos virtutis honores,
ısta minutatim torrenda in calce parata
'emit et longe vectos aliunde labores.
ɪgressus tandem media proficiscitur urbe
lustrans hinc inde oculis; variare figuras
ue habitus hominum cernit paulumque moratus
ɔc secum: Quaenam gens haec tenus inguine vestes
.e gerit et pedibus nimium gradiuntur acutis
osoque comas umbrantur et ora galero?

---

177 Frustra

Horum ego iam memini quondam attrivisse furores,
Barbaricos quando domui. Num forte sinistra
Victores nostris opibus potiuntur et urbe?
Effera gens nimium in luxum te Roma subegit,
Quam totiens tantis protexit ab hostibus ingens
Scipiadum virtus, acies ubi Martius ardor
Fulminis in morem totis exciverit oris.
En hinc quis strepitus? cursim adventare togatos
Prospicio verbisque loqui nutuque latinis.
Hi num Romulei proceres? haec Martia nostrae
Militia est urbis? sanctusne hic forte senatus?
Frondentes hederae et postes ubi laurus obumbrat,
Hos video nimias agitare in iurgia vires.
Iam satis hoc: rediit virtus, nostraeque peracta est
Spes longinqua viae. Poteram requiescere saltem
Tutus apud manes, animum quando irritus hausi
Exuperare Erebum rursusque ad fata reverti.
Indignatur adhuc externa a sede profectos
Aspexisse viros urbis connubia fungi,
Quae totiens reges iam dedignata maritos.
Conscius hic solita veterum virtute minores
Degenerasse dolet viresque in sordibus omnes
Effluxas Latii et tantum superesse ruinas.
Laxus humi residens auras captabat aperto
Pectore et afflicto flabat suspiria corde,
Nec lacrimas tenuere oculi salsaeque per artus
More nivis guttae fluxere ardore liquatae.
Tantus ubique dolor membrorum robora laxat,
Suspiransque graves erumpit ab ore querelas:
O patria, o tellus divum, domus alta Quirini
Imperiosa viris, mundi regina subacti
Terrarum genitrix omnis simul aetheris altrix,
Quae genuisse deos potuisti et lumine caelum
Illustrare tuo superisque extendere laudes,
Iam deserta iaces: cecidit vigor ille Quiritum,

---

201 herebum

'irtutum princeps. Nil heu nisi nomen et umbra
estat et antiquae tantum levis urbis imago.
.ei ubi siderei proceres, en indita virtus
la virum! Cecidit divini seminis ardor,
'agnanimum heroum iam degeneravit origo,
etheris antiqui clementior aura recessit.
aec urbis facies, qualis cum frigore primo
rcadiae saltus, ubi Iupiter horret ab astris,
ıxat hiems frondes boreasque excerpit honorem
:boribus, si quando gelu pulsantur et imbri.
ıstities horret, foliis nemora alta caducis
rata iacent, feriunt ramorum excelsa procellae,
ıdique procumbunt ruptis radicibus orni.
rapidus flammas volvat Vulcanus ad auras,
.nc nemus omne flagrat, dilecta cubilia nimphae
ffugiunt celeres nullaque in fronde virescit
.cus, et exusti restant sine cortice trunci.
u nimium praeceps, nimium furiosa vetustas
celeras nimiumque ruis matura sub aevo,
ignes rerum vires et singula vertis
lua paulatim mundumque exosa resolvis!
[am iam carpit iter surgit qua parte superbum
ım et admirans pontem fluctusque ruentes
:ritamque arcem summumque ad sidera culmen:
ıspicuis, inquit, tantum haec aequanda vetustis
ənia. Si Priamus tanto iam robore Troiam
nisset, nullis violassent viribus olim
tissentque solo fumantia Pergama Grai.
n festinat iter: multos celerare gerones
spicit et manibus ingentia volvere saxa
ıiferis similes satiris; pars agminis illuc
vectat silices alta de rupe recisas,
; terit advectas, operi pars miscet arenas;
ramum ante alios, qui calcibus ilia nudis
dit equi frustra, manibus quem nixus et armo
tractim impellit, nutuque et voce lacessit
ferum vulgus segnesque in calce clientes.

Ferte citi ferte! exclamat, properate labores
Turris et ambitus murorum, haec moenia quando
Cingere constituit summus pater omnia tractu
Urbis opus longo! Tantos Beltrame paratus
Aggredere intrepidus: durus labor ardua vincit,
Omne quidem facile est animis audentibus altum.
Tum mage fervet opus: totos cyclopas ab Ethna
Prospiceres ruere; magnum cum robore caelum
Debellare parant ac montibus insuper altis
Coniiciunt montes et in aethera surgit Olimpus.
Ingressus templum teretes hinc inde columnas
Miratur tractusque loci et testudinis altae
Fundamenta iaci, paulatim assurgere muros
Gaudet et hanc longe molem superare vetustas.
Pyramidum sileat celebris fastigia Memphis
Mauseolique labor, cedat Babylonia moles
Et quae marmoreis late suffulta columnis
Tot símul ingentes Asiae struxere labores
Templa solo Triviae penitus fundata palustri.
Dirigit inde pedes, ubi nunc domus alta monarcae
Tollitur antiquis non concessura triumphis.
In foribus timor in superos sanctumque pudorque
Iustitia et pietas, opere associata frequenti
Pone fides sequitur, nullo violabilis aere
Gratia stat simplex, quam raro in praesulis aedes
Isse reor: multos solet id iugulare potentes.
Felix qui nullo nimium speraverit auro!
Aulai in medio summoque in culmine regnat
Maiestas gravis imperio vultuque verendo
Iudicium sequitur fecundo in pectore verum
Consilium gestans viridique adoperta colore
Spes et amor, grati longe immortalibus ambo.
Haec propter totum virtus quae temperat orbem,
Candida religio sacrata in sede coruscans
Ad superos ostendit iter, monstratque colendo

---

282 Esse

Simplicitas hominum qua vi superevolet astris.
Gloria post longos et fama aeterna labores
Insequitur biiugoque super concordia curru
Eminet et rerum seriem regit Athica Pallas.
Plurima per muros hinc inde effulget imago.
Haec post longa quies residens secura sub alta
Otia pace terit meritisque rependit honores.
Hinc studia ingenuis antiquae laudis et artes
Athica demonstrat quae sit natura quibusve
Cursibus errantes stellas represserit Athlas,
Qua trepidet tellus, qua vi maria alta tumescant,
Unde animae inspirent homines volucresque ferasque,
Quae regio in terris Cereri sit quaeque Lyaeo
Gratior aut saltus maiora armenta coronent.
   Post aulas vergens penetrali in sede receptus
Lustrat Aretinum crocea sub veste Iohannem,
Qui tum forte legens leni sub voce labores
Scipiadum magnis animos pensabat ab actis
Romanosque duces meritis super aethera vectos.
Ille autem ad nomen tacitas erexerat aures
Scipiadum; dum se se armis confringere Poenos
Audit et hostiles iam debellare catervas,
In medium tales prorumpit ad aethera voces:
Ille ego qui totiens armis victricibus olim
Spem patriae ante annos mediis in caedibus ardens
Paene auxi extinctam, cum saevus inhorruit armis
Hannibal et nostris undarent stragibus amnes.
Inter tot furias bellorum primus ad oras
Produxi hostiles ausus contemnere vires
Fortunae. Fuit ingenti pro numine virtus
Et patrum studiis animus mihi maior et ensis.
Edomui Lybiae populos, tot regna tot urbes
Sub iuga Romanae posui dicionis et orbem
Occiduum statui. Cura est mihi credita fratris
Imperiumque urbis, strueret cum bella Philippus
Antiochique furor. Totiens domuisse rebelles

327 Anthiocique

Glorior atque Asiae fratri peperisse triumphos.
Unde tot invidiae: studium sine laude virorum est
Polluere illustres et rerum carpere famam.
Quin etiam cinerum ne quid sibi Roma meorum
Iactaret manesque meos tenuisse sepultos,
Sponte tuli exilium. Meritis haec gratia, postquam
Restitui decus omne meis ac paene ruentem
Italiam tantis tutatus ab hostibus armis.
Laudibus his cesset quaecunque est gloria gentis
Externae Graiumque simul, licet aemula virtus
Herculis ingentes olim simulaverit actus.
Mille licet dederit Iuno implacata labores
Atque humeris caelum tulerit spoliumque leonis
Lerneamque datis facibus tremefecerit idram
Ileumque Pholumque Erimantiadumque furorem
Stimphalidasque arcu, vel si cumulentur in unum
Idra et Scilla et aper triplicis Gerionis et umbrae,
Antheo vires tellus infundat et ater
Cerberus horrendis feriat latratibus auras:
Omnia vix nostros poterunt aequare labores.
Haud dextrae colus apta meae nec Lidia coniunx
Horrentes humeros molli derisit amictu,
Non ego Amazonidum traxi ferus arma puellae.
Vis mihi maior erat; nam me sublimis agebat
Gloria, cum totiens Romanis arcibus hostes
Averti atque omnis per me tulit orbis habenas.
Nondum bellorum studiis, sed viribus impar
Quisque fuit ductor. Vitiis a stirpe recisis
Aetatis florem duro exposuisse labori
Cura fuit. Nobis victa Cartagine virgo
Illustris delata. Oculos licet illa nitentes
Gesserit aut quales nimium laudata Pelasgis
Tyndaris ardenti donis cumulata marito
Iussa dari, belli quamquam mihi iure liceret,
Non tamen usque meum tetigit captiva cubile.
Exuperare animum flammasque libidinis acres
Laudis erat. Divum cantet licet altus Achillem

raiorum vates et felix Mantua Troem,
ic nisi nemo fuit, nostras qui carmine laudes
ltius extulerit, patrem qui tollere sacrum
ititur, in viles usus ni mergat egestas.
Talibus obstupuit dictis Aretinus et actis
ollustrans oculis, dubiusne illuserit arte
ut ope Peonia fuerit revocatus ab orcho,
uae fortuna virum circumferat inscius haeret.
otutu spectans humeris haerere lacertos,
embra simul vivo penitus spirantia pulsu
iratur: Quis te traxit casusne deusne
dibus a stigiis nigroque erumpere Averno
l superos, cum tot Furiae iuxta atria Ditis,
rgon et horrendi custos sit Cerberus antri?
ι superum iussu venias, ut luseris arte
ntibus humanis fictoque in corpore vultus
tentes, quales tenuit dum vixerit ille
pio, quem nuper vana mentiris in umbra?
ga phynecea tumulo mala carmina fraude
rte dedit; pelago ruis an telluris hiatu?
procul ad manes stygios atque aethera lustra
rantesque viros, dum nos hic vita reservat.
Tum Romanus ad haec: Quamquam volitare figuras
rte obita fama est umbrasque illudere vivis,
turbere animo neve exhorresce precantem
papam ingressus; neque enim te laedere manes
le putes nostros, suetus cum saepe labores
piadum legere et memoranda rependere facta.
erio magni venio Iovis: ille tenebras
it et e Stigiis supera ad convexa levavit
ue iterum dedit humanis et luce potiri.
d te per lacrimas, dudum quibus ora caducis
ca vides superasque poli quibus uteris auras
unamque urbis, nostri quae sola reductus
sa fuit tantosque ausim tolerare labores,
pedes sacri quaeso genitoris et ora
Aretine. Deos sic tu maioribus oro

Muneribus potiare patris, nam fata polique
Et tua te virtus merita ad maiora reservant.
Duc, iterum rogat, et sacrum me admitte parentem
Immeritumque licet. Patrios non ille refellet
Affatus, pia vota solet lacrimasque precantum
Mollius accipere et fessis succurrere rebus,
Cui caput ante alios ornet licet alta potestas.
Iam memini quondam imperio sublimis et armis
Supplicibus sua iura dedi facilisque rogatu
Ante acies quamquam victor. Fortuna modestos
Esse animos vires regni tumidosque ruinas
Edocuit summisque diu non fidere rebus.
Ille tamen victus precibus lacrimisque rogantem
Romanum implicuit dextra monuitque vereri
Pontificem. „Gratum est patriae spectare parentem,
Cui meriti virtus ausa est includere tantum.“
Ergo ut erat gemitu laceroque inhonorus amictu,
Mente gerens casus tristisque exordia facti
Militis, illacrimans urbis miserabile fato
Ante patrem manibus supplex et poplite flexo
Haud rudis eloquii sic ora trementia solvit,
Quae magis indigni commendat gratia luctus:
Dive virum Nicolae, inopem qui numine Romam
Quinte tuo extollis, tantos miserate labores
Solus et antiquas qui nondum despicis artes
Romanumque decus, Stigiis de sedibus unus
Ausus ego ad superos vastae telluris hiatu
Rumpere. Scipiades eadem nos cura repostos
Urbis habet, quondam tenuit quae in tempora vitae.
Iamdudum infremuit tumidos de plebe rebelles
Rumor apud manes patriae insaevisse parenti
Et violasse sacrum. Poenorum qualis ab armis
Tempestas mihi visa iterum. Sic infera pugnas
Extimuit Romana acies: nos bella gigantum
Credidimus trepidi vel hiulci fulminis iras
Ob scelerum poenas irataque numina genti.
Hei ubi prisca fides! tanto cur turbine miscent

Otia mortales finesque egressa modesti
Libertas nimium rerumque exaucta superbit?
Quid faciunt miseri, tibi cum caelestia parent
Infernique sinus? Ubi nunc vetus ille priorum
Virtutum fulgor? Vetus illic Roma quiescit,
Robur et arma virum: nequeunt mansuescere tantum
Relliquîae sordesque hominum, quos undique fluxum
Confecit populos extrema in tempora vulgus.
Hosne iuvat saevire, iterum quod moenia rursus
Extruis et Romam, si qua est, insignibus ornas
Extollisque opibus pacemque impendis et annum
Laetitiae exortem bellis, unde aurea fulget
Roma et congestis opibus cumulata triumphat,
Reddere praereptos iterum dignatus honores
Et civile decus, census augere paternos
Omnibus et maior rerum data copia templis?
His quamquam aspirent felicibus omnia fatis,
Tu tamen excelsa moderantius utere sorte
Imperiique manu. Meritis excellere malis
Et pietate alios, quae sola in principe virtus
Eminet, exemplum cum sis pietatis et auctor
Ante omnes decet esse pium monitusque supernos
Fortius accipere atque ipsi non parcere vitae,
Si iubeat pietas. Populorum vita salusque
In te omnis, cuiusque humeris incumberet orbis
Milibus e tantis cum factus ab aethere dignus.
Nec tibi, sed totis genitum pia cura superni
Instituit populis: ergo reminiscere, quando . . .
Gentibus esse caput mundoque impendere leges,
Siderei meritis recludere limina caeli,
Indignata viris exposcere numina pacem.
Tunc deus aspexit mundum, cum dulce ferenti
Pondus eras matri, tunc arrisere corusci
Numina cuncta poli et patriae spes aucta Latinae,
Cum tu maiores adolebas dignus in annos

---

post v. 466 nescio an exciderit aliquid

Atque ingens virtus meritos spectaret honores.
Surgere iam poterat neglecta et squalida Roma
Et veteres haurire animos maiorque videri,
Tum quoque communi felix adolescere sorte,
Cum melior per te longe sibi redditur orbis.
Ante tuos ortus miserandum et flebile numen
Roma fuit. Tandem triplices laetata per omnes
Te surgente gradus, tribuit quos ipsa, meretur
Ante alias veniam populos spectata per omnes
Sacra diu nomenque tuum templumque dicabit
Gentibus: hic totus Romae laetabitur orbis.
Sis pater ergo memor patriae telluris amatae
Numinibus, cineres ubi tot tumulantur et ossa
Pontificum sacroque hominum perfusa cruore
Undique terra rubet. Fidei manet alta supernae
Hic pia relligio verum caput urbis et omne
Imperii decus et Petri, cui sanguine primus
Partus honos templi caeloque infusa potestas.
Ergo iterum altricem mundi pater aspice terram.
Imperat ille deis fortunae et rebus et astris,
Qui sibi nec patitur mentis sordescere lumen
Vimque animi, imponit qui frena libidini et irae.
Ille quidem felix princeps et celsior omni
Imperio et populis opibus quoque maior et armis.
Haec postquam effatus, subito velut umbra recessit
Spiritus ad manes corpusque reliquit in urna.
Ac veluti ignitas si quando per aethera sursum
Intenti aspicimus noctu volitare favillas,
Igne micant tenui, mox nulla in corpora lapsae
Deficiunt, subito aspectu solvuntur in auras,
Aut ubi quam sidus vulgus putat ignea currit
Rima polo, celeri raptu se condit in astris.

---

finit secundus.

III.

Venus aurea natum aberrantem deplorat afflictim, quem terras ac caelum speculata nusquam comperit. Inquisitores omnes esse vult; his praemia satis digna pollicetur, monstranti basiolum spondet, reducenti natum se dat quolubet modo potiri. Elegiam hanc ab se editam iubet esse pro vadimonio. Tantis igitur praemiis cum adhortetur unumquemque, erit operae pretium inquirere ludibundus ille quo lateat. Tu, qui Veneris desiderio ac lacrimis indulges, diligenter si quaeritas, dignus eris tanto munere.

Venus aurea.

Flete meos (si qua est meriti mihi gratia) casus,
  Quos Veneris tangunt cordolium et lacrimae!
Hei mihi, quando meum totum speculata per orbem
  Perdiderim natum perdiderimque animam!
Quo calet igne Venus, cessit mea cura Cupido
  Et secum vires deliciasque tulit.
Nate simul tecum totis resoluta medullis
  Gaudia quanta dedi, gaudia quanta tuli!
Molliculis quotiens Venerem condire solebas
  Saviolis, quando dulcia furta dabam!
Nate, meae vires et deliciosa voluptas,
  Te sine deficior, te sine luce oculi.
Heu quam carus eras suetus colludere mammis
  Et mihi lascivo lambere dente genas,
Quanta leves inter fletus et gaudia carpsi
  Basia, cum gemitu murmura trita dabas!
Ipsa tuos tremulo solabar carmine luctus —
  Heu Veneris nemo condolet ad lacrimas.
Quam facile irrepens cum posceret otia somnus,
  Spargebam teneras ipsa per ora rosas!
Dulce meum solaciolum vitaeque voluptas,
  Quo latitas animae longa alimenta meae?

Indulget si quis miserae mihi reddat alumnum,
Sive vir invidia sive sit ille deus.
Hunc quicunque mihi seu vir seu femina fiat
Duxerit, in Venerem cuncta licere sinam;
Qua lateat vel qui tantum patefecerit oram,
Illi ego pro meritis spondeo basiolum.
Prospice ne incassum statui tibi dona labores,
Quae poterunt ipsos sollicitare deos.
Neve oculos fallat nati volitantis imago,
Signa feram, quo sit notior ille tibi.
Incedit nudus puer et sine lumine vultus,
Purpureas tenuis ventilat aura comas.
Dependet pharetra ex humeris, quibus addidit alas
Ipse pater, manibus ignea tela gerit.
Ne prope sis rapto cum telum intorserit arcu,
Nec spectes teneri quanta sit ira dei.
Multi etiam fortes sensere Cupidinis ictus,
Saepe dedit Marti vulnera, saepe Iovi.
Ah quotiens miseros vana spe lusit amantes
Et desperatis vota secunda dedit!
Blandiri assuetus, sed fellis amarior haustu
Plena venenosae pectora fraudis habet.
Saepe iubet simulare et lascivire puellas
Inter amatores officiumque negat.
Saltem si qua mihi violentior aura fugacem
Restituat, possum cetera damna pati.
Ni reducem miserae dederint pia numina natum,
Spectabit paucos vix mea vita dies.

Finit.

IV.

Oratius Nichodemo felicitatem. Hic est qui abstrahere servitio provinciam et liberam nobis vivendi dulcedinem parere potest. Itaque resistere his furoribus etsi maxima laude dignum sit, eo magis excitari debet, quod si neglexerit, non modo reliqui temporis gloriam eripi, verum etiam sibi praeteritam evanescere sinet. Nihil enim per se altum atque magnificum, nisi quod omnium iudicio ratio fecerit excellens. Verum quia neminem decet magis Italicae libertatis defensorem esse vel gloria rerum gestarum vel felicitate, quam omnium mortalium primus in potestate habet, vel studio atque efflagitatione omnium, scripsi breviter carmina haec tanti principis magnitudinem excitatura. Quae si libera atque honesta iudicaveris, per humanitatem tuam et principis fortunam quaeso ad illum destinare non graveris; quod si secus tuum iudicium fuerit, vel ea combures. Vale.

Ad Illu. principem d. Franciscum Sfort. Ducem Mediolani.

Dive virum lapsura Italis qui regna tueris,
  Quo duce fulgorem Caesaris orbis habet,
Effluxas patriae res maiorumque triumphos
  Aspice vel Lygurum gloria quanta iacet.
Rex ferus insultat Latio — quam credere durum —
  Ascivit Venetos in sua vota pares.
O scelus indignum: tanto cum crimine foedus
  In caput est ictum terra Latina tuum.
Alma viris felixque opibus, cui contigit orbis
  Imperium, fieri barbara praeda queat?
Cui fortuna potest patriae miseranda videri,
  Si te non pietas ad pia bella movet?
Causa tua est tantum, tu iustius induis arma;
  Non erit hoc belli, sed pietatis opus.

Pro patria spondent pugnantibus aethera divi,
Cetera sunt meritis inferiora suis.
Quando laude magis dignos sperare triumphos
Aut poterit virtus promeruisse magis?
Anne alium pateris quam te dare iura Latinis,
Alterius domito surgat ut orbe caput?
Si te nulla movet tantorum fama laborum,
At patriae pietas te meminisse iubet.
Imperium tanto quaesitum sanguine et armis
Fiet ab externis praeda ferenda lupis.
Rex tonet ipse licet strepituque exterritet orbem,
Diripiunt tantas ventus et aura minas.
Aragonum quid scorta times Venetumque calones,
In quibus aut nullus vel sine Marte calor?
Te tantum, haud alios deposcunt sidera regem,
Hoc Italae gentes et pia cura deum,
Roma etiam, quamvis maerens reminiscitur aevum,
Quo nimium superis visa superba fuit.
Tolle moras: ausis ingentibus ardua virtus
Praestat opem, fortes sorsque deusque iuvat.
Ante acies quis te tulerit, cum Martius ardor
Ruperit ante tubas, cum fera bella dabis?
Vosne hostes, belli fulgor, vos Martis alumnum
Fulmineum trepidi stabitis ante virum?
Dat vires dextrae Mavors, dum porrigit ictus,
Dumque regit turmas, flava Minerva regit.
Illa duces bello claros aciesque tuetur,
Illa viros fortes anguigerumque genus.
Italiae illustris cum te victoria regem
Fecerit et tantis iura dabis populis,
Ad sua restitues caelum quod temperat omne
Undique quassatum pontificale decus.
Tum tibi victrices ornabunt tempora frondes
Et referent titulos ille vel ille tuos.
Tunc ego et ingenium et quicquid mea carmina possunt,
In laudes Italum Sfortigenumque dabo.

Finit.

V.

Iliadis liber primus.

Iram Diva refer nati Peleos Achilli
Pestiferam Danais, tantos quibus anxia luctus
Actulit heroumque animas tot miserit orcho
Ingentes, canibus lanianda cadavera passim
Alitibusque dedit. Statuit sic Iupiter, ex quo
Iam pridem Atrides magnorum ductor Achivum
Turbatis certare animis et divus Achilles.
  Quis superum furias amborum mentibus auxit?
Latona infensus regi et Iove natus Apollo.
Hic ira incensus miserorum corpora tractu
Tabifico coeli morboque infecit Achivum.
Haud veritus nanque insignem contempnere Crisen
Atrides vatem, dudum qui ex arce profectus
Argivum ad classem fulgentis laurea Phebi
Serta gerens sceptrumque manu mirandaque regi
Munera prereptam reddi sibi poscit alumpnam.
Supplicibus lacrimis omnes ante ora precatur
Ductoresque ambos populi decora alta Pelasgum:
  Atridae vosque o Danai fulgentibus armis
Illustres, coeli vobis qui culmina servant
Si predae imperium Priami reditusque secundos
In patriam prestent, caram mihi reddite natam!
Accipite haec: meriti pretium sint munera tanti.
Fulgorem liceat Phoebi numenque vereri,
Quem Iovis ut gnatum cuncti coluere Pelasgi!
  Assensere omnes votis et munera fungi
Auguris. Hic tumidus furiata mente ferebat
Consilium Atrides animique exaggerat iras,
Increpitans diris vati sermonibus infit:
Si te his actigerit candens Aurora morantem

Cod. Vatican. lat. 3908 fol. 173^{r}. Homeri poetae cla. ex greco in latinū versi per oratium liber primus incipit yliađ.

Pupibus aut iterum redeuntem offendet Atrides,
Non te sceptra dei nec laurea texerit, augur!
Hanc procul in patriam statuam cum redditus Argo
Texentem toelas, nostrum captiva cubile
Cominus aspiciet, dum strenua fulserit aetas.
I procul actutum, ne me irritaris, ut inde
Illesus redeas! At illi territus augur
Paret et ad litus pelagi fluitantibus undis
Tendit iter propere aspectans; tum plurima questus
Latoydem supplex lacrimis affatur obortis:
Crinibus insignis Chrissam qui fortius audes
Archiger et Chillam illustrem Tenedumque nitentem
Eternis regere imperiis, si thuris acervos
Ad tua templa tuli, si pinguia liba quot annis
Taurorum pecudumque dedi torrenda per aras,
Exaudi, nam digna precor, mea vota cadentes
Et lacrimas quasso Graii vereantur ab arcu!
Audiit architenens, celso turbatus Olimpo
Desiliit nocti similis classique Pelasgum
Quam procul aspexit furiis accensus et ira
Constitit ex humeris sonitumque dedere sagitte.
Tum graviter stridet argenteus arcus ab aura.
Inter equos interque canes iam tela vagantur
Litore in extremo Danaumque in corpora soevit.
Quotque emissa manu morbos tot spicula tendunt,
Precipitesque alta vitas in morte relinquunt.
Iamque catervatim defleta cadavera flammis
Subiciunt miseri turpi fluitantia tabo.
[Ante oculos struxere piras]

Liber primus Homeri poetae divini per Carolum Arretinum in latinum traductus.

Nunc iram Aeacidae tristem miseramque futuram
Diva cane et quantos Grais dedit ille dolores

---

40 abortis ‖ v. 59 linea inducta deletus est.
Bibl. Leopoldinae Laurentianae Strozzianae cod. 100.

Quotque animas fortes heroum miserit Orcho
Quantaque tum canibus miserorum corpora passim
Atque avibus lanianda tulit, quo tempore primum
Atrides rector populorum et dius Achilles
Inter se certant, sic Iupiter ipse volebat.
Quis deus hic tantos irarum miscuit aestus?
Latonae genitus, contempto numine saevo
Infensus regi, pestem conciverat atram
Castra per et populum procumbunt undique morbo.
Namque sacerdotem Phebi contempserat ille
Chrisem, qui ratibus solers advenerat Argis;
Laurea serta dei manibus sceptrumque gerebat
Et quae sint natae pretium ventura redemtae
Fulgentes ocreis Danaos oravit et altos
Praecipue Atridas, rerum quis summa potestas:
Atridae atque alii tam splendida corpora Graii,
Obtestor superos, caeli qui culmina servant,
Dent manibus vestris ingentia moenia Troiae
Vertere, tum laetos patrios accedere portus.
Munera praetendens vobis, haec munera porto,
Sumite, tam caram misero mihi credite natam
Et magnum sperate deum, cui certa sagitta
Est manibus prolesque Iovis carissima semper.
Assensere alii tollendaque praemia censent
Reddendamque patri natam vatemque vereri.
Ac non Atridae placuit sententia, dictis
Sed gravibus Chrisem ratibus discedere iussit
Taliaque horribili vultu verbisque minatus:
Hinc periturus abi! iam te nec numina Phebi
Non lauri non sceptra tegent, si navibus altis
Seu nunc tardantem rursus seu castra petentem
Attigero: nec enim ante putes tibi solvere natam
Quam procul a patria canos ostenderit Argis!
Hic texat telas, hic nostra cubilia curet.
I tandem caveasque tuis me incendere verbis!

---

13 Chrisemque ‖ 19 servat ‖ 24 sagipta

Sic fatus. Timuitque senex dictumque facessit,
Undisoni tacitus petiit nam littora ponti.
Hinc abiit longe precibus Phebumque vocavit:
Arcitenens magne, Chrisae qui moenia lustras
Divinamque regis Cillam Tenedumque gubernas,
Smintheu, si qua tibi posui pulcherrima templa
Sique tuis aris taurorum pinguia crura
Caprarumque dedi, nostris precor annue votis:
Dent Danai poenas infestaque conice tela,
Ut tandem lacrimas discant non temnere nostras!
Audiit haec Phebus graviter commotus et imas
Desilit in terras summo de vertice caeli
Arcum humeris pharetramque gerens; tum turbidus ira
Irruit et quassae sonitum fecere sagittae.
Argivumque petit classem circumdatus umbra
Conseditque procul subito nervumque tetendit
Arcus et horrendo telum stridore remisit.
Hoc mulos rapidosque canes hic corpora Graium
Finxit inaudito tentavit et agmina morbo.
Heu miserum postquam telum contorsit amarum,
Muta virum crebris ardebant pectora flammis.

VI.

Oratii Romani ad Pium II pont. max. epigrammata.

1.

Nos dignum meritis in te profitemur honorem
Et decuisse Pium pontificale decus.
Dardanicum Eneam pietas super aethera vexit
Teque sui nomen sanguinis esse probat.

---

49 Desiliit ‖ 51 sagipte ‖ v. 58 in marg.

VI. Cod. X Rossetti bibliothecae municipalis Tergestinae (A) fol. 13^{v}. Cod. J. VII, 260 bibliothecae Chigianae (B) fol. 13^{v}.

Ille patrem rapuit medioque ex igne penates,
Tu patriam medio de Flegetonte rapis.
Ille suis raptam Troianis reddidit urbem,
Tu decus in patriam pontificale refers.
Nunc Pius: Eneas olim Iovis atria pandis
Et caelum votis creditur omne tuis.

2.

Sum Pius antistes nulli pietate secundus.
Non fortuna fuit, sed pietatis opus.

3.

Sis Pius et casus releves pater optime nostros,
Temporis angusti nam meminisse pium est.
Semper ad Eneadas placido sanctissime vultu
Respice Romanos et tueare tuos.
Succedat populis per te non irrita voti
Gratia nec pietas desinat esse piis.
Sis Pius in caelo cognataque sidera vincas,
Et finem pietas protegat usque tuum.

4.

Sum Pius antistes nulli pietate secundus:
Sic pietas finem protegat ipsa meum.

5.

Instituit cum te pietas divina parentem,
Consultum voluit temporis esse malis.
Officium pietatis opem mortalibus et spem
Exhibet et frustra non sinit esse preces.
Illa deum caelo miserandum duxit in orbem
Mortali passim condicione frui.
O decus, o pietas, o lux et gloria, fecit
Te pietas nasci, te voluisse mori.

1, 5 medio ex *codd.* ‖ 3, 7 Sic *codd.* ‖ 5, 8 pietas *A*

6.

Sum Pius antistes nulli pietate secundus,
Vera dei mea sit relligio et pietas.

7.

Imperium quodcunque est fortunae est viribus impar,
Non stant perpetua tempora laeta fide.
Mortales tantum pietas caelestibus aequat
Et facit aeterna posteritate frui.
Esse deo pietate parem tibi tradita virtus,
Quod tibi commune est, utere more dei.

8.

Sum Pius antistes nulli pietate secundus:
Pontificem populis iam decet esse pium.

9.

Pone metum: iam Roma novo sub principe gaude,
Omnis odorato luceat igne domus.
Dum Pius Eneas Capitolia celsa fovebit,
Tunc eris imperio florida Roma tuo.
Nunc caput orbis eris maioribus aucta triumphis,
Sint modo pontifici tempora longa Pio.

VII.

Oratius Romanus Pio II pont. max.

Caesaris Augustus superis sacravit honores,
Postquam victrices conticuere tubae,
Et cecinit dignas divino carmine laudes.
Inter tot curas tu Pie carmen habes,

7, 1 versum leges metricas violantem corrigere non ausus sum || VII. A fol. 31^v. B fol. 31^v.

Quale nec Augustus nec qui te Auguste canendo
Reddidit aeternum Peleos aut genitum.
Non labor aut sumptus, dolor acer honorque recessus
Et rabies caeli continuere tuos.
Imperii sunt haec quae primum elementa parasti,
Ut cadat hostilis nostra sub arma furor.
Par operi tanto est animus, si viribus esses,
Spem fovet, ut vincas, relligionis amor.

VIII.

Oratius Romanus Pio II. pont. max.

Pi decus aeternum patriae, quo principe rursus
Orbe triumphato sacrum caput inseret astris
Italia atque Asiae solito ruet omine regnum,
Cernis ut insultet furiis agitatus Amyrras?
Successu rerum domita quam nobile quondam
Hospitium pelagi Pausania condidit urbe
Concipit Europen. Italos satis esse fatetur,
Conatus qui iam tantos et vota morentur.
Nec minus audaci populos premit undique bello
Finitimos in regna et agros urbesque ferocit
Pannoniae, ac ripas Histri circumsonat armis
Otumani genus; obscurum trans accola primum
Euxinum et Tanaim Mahomes erupit ab orcho,
Qui ferro et flammis caelum populetur et orbem.
Digna pater reputans animis sublimibus ista
Et maiora tuis, cum primum culmen adisti
Pontificale, caput pro relligione pacisci
Mens fuit et totis occurrere viribus hosti.
Invalidus quamquam pedibus nec fortior annis,
In lacrimis linquens urbem patriosque penates

---

12 religionis A ‖ VIII. A fol. 93r. B fol. 93r. ‖ 2 miser et astris A

Difficiles magnis superasti sumptibus Alpes
Utque bonis tantum comunibus aspera passus
Consuleres: haec una tibi via visa salutis.
Conveniant ubi te recipit modo Mantua reges,
Mantua principibus tellus delecta vocatis
Hostis in excidium. Quod si metiris et aequas,
Non opus externis belli pro nomine: vires
Sufficiunt Italae, modo si cumulentur in unum,
Tutari Ausoniam et venientes pellere Turcos,
Quin Asiam atque oriens iterum sua sub iuga mittant.
Huc studium converte parens, huc dirige mentem,
Discordes populorum animos regumque ducumque
Redde in amicitiam. Coeant in foedera dextrae:
Omnibus una salus unum et comune periclum,
Sit labor unus et una indeficiensque voluntas.
Hesperia in Turcos totis vomat aedibus aurum.
Dives opum variarum armentosissima tellus
Auxilia arma et equos aurum frugesque virosque
Italia undanti fundet pulcherrima cornu.
Tu pater imprimis, cuius sub numine res est,
Delige praestantes virtute et viribus annos
Militiae vel quos decus et fortuna secundet.
Anguiger Insubrum, si non vigor ille refrixit
Martius ante dies, o quid teris otia frustra
Ductor et imbelles sinis ire inglorius annos?
Iam iam acies bello assuetae Boii Liguresque
Non armis, non Marte calent, operosa capillos
Non galea sed fronde premit decoratque iuventus.
Virtutem torpere sines: age protinus omnes
In Teucros arcesse acies, simul undique robur
Sforciadum anguigenumque et ventilet anguis in auras;
Eminus auratae radient diademata frontis.
Non illi regnum Italiae veterumque labores,
Sed tibi fata parant. Nam rebus ad ultima lapsis

---

30 Qui *A*. ‖ 36 Hesperie *codd.*; cf. X, 146. ‖ 52 diademate *A*

Dum spes nulla tibi, quotiens fortuna refulsit!
Imperium optasti Ligurum: non irrita voti
Sors fuit; hostiles collato Marte catervas
Fulminis in morem fudit tua vivida virtus.
In caput arma tuum moliti et foedus et iram
Regnator Siculum Venetique: in turbine rerum
Vis (inopem quamquam auxilii) non terruit ulla.
Quin auro atque opibus fidentes fortibus armis
Saepe renitentis Venetos ad foedera duxti.
Hannibalem totiens victum Piciniiaque arma
Vidimus et mediis Veronae moenibus olim
Eiectum, cum tot galeas et scuta virosque
Fluctibus involvens Athesis mare decolor intras.
Quid super Ausonias acies aut oppida victor
Edideris memorent alii, quibus auxeris armis
Rem Venetum, populos quot sub dicione dedisti.
Sentiat ille acies et quae tibi fulmina Mavors
Suggerit, et quantus sis experiatur in armis.
Si decus id summi ducis officiumque fateris,
Aude ànimi fidens, quo te vocat ardua virtus!
Adriaci ad litus mediis super aequoris undis
Urbs Venetum florens opibus et classe parata
Incolitur; late populis dat iura senatus.
Hi quondam assiduo soliti contendere Marte
Infestasque rates toto detrudere ponto
Et mare inoffensum servare et littoris oras
Sceptraque vix pelagi Neptuno tuta relinquunt.
His si certa sedet belli sententia, quamquam
Sint in amicitia Turcorum et foedere vincti,
Armabunt classem, maculas abolere patentis
Criminis haud alias et dira piacula possunt.
His sine difficilis belli victoria nobis,
Haec vis una potest uni contendere Turco.
Mox Siculum poteris regnorum arcessere vires

58 Fluminis *AB*, fulminis X, 22. ‖ 65 olim *AB* urbis *B* in marg. ‖ 67 intras *AB* ibas *B* in marg. ‖ 80 in offensum *A* in offensus *B*

Hostis in excidium; ventorum laxet habenas
Eolus atque omnis furias erumpat ab antro,
Encheladus flammas, cyclopes fulmina et arma
Ethnea de rupe, parens Neptunus et omnis
Neptuni chorus ex imis super aestuus undis
Involvat rapido Turchorum turbine puppes.
Appulus et Calaber tellus insignis equorum
Quisque dabunt armenta, Agragas vel qualia quondam
Nutribat; Cumea deum responsa resolvent,
Hic ubi Dardanium Eneam sub rupe Sibylla
Ire ad conspectum docuit genitoris, ut omnis
Principe te Turcus diro sub Marte peribit.
Tot maria et portus non sunt sine classibus et quae
Proxima Caietae prospectat littora Circe,
Hic ubi diva viros saeva feritate luporum
Induit et tristes resonant ad sidera luctus.
Tot quondam rediens spoliis orientis onusta,
Tot victrix populorum, alio nunc debilis aevo
Quid das Roma Pio? Desunt tibi robur et arma
Et manus ob patriam pugnantum et sanguis avorum.
Non Remus et frater, quorum sub moenibus alter
Occidit, alter agit cum diis genitalibus aevum.
Fabricium quid Pyrrhe times Mummiumve Corinthe,
Emilium Perseu? geminorum victa sub armis
Scipiadum Carthago? Premit tot fulmina tellus
Martis et attritus vix est sine nomine pulvis.
Non genus Alcydae, quorum periere trecenti,
Non Decii superant, patriae dare Regule vitam
Non iterum te fata sinunt nec pignora Brute.
Morte iaces, vivis fama, qui passus Orati
Hostis in occursum post terga avellere pontem.
Non Marcellus adest nec Scaeva aut Scaevola, regem
Qui petat arsura Tyrrenum occidere dextra.

---

93 extuus *codd.* ‖ 97 cum ea *A* resolvet X, 97. ‖ 98 sibilla *A* ‖ 106 uictrices *A* ‖ 117 ne pignora *A* ‖ 119 pugnando *A*, ubi *post terga* in marg.

Victor ab exilio qui signa ex hoste recepta
Restituit patriae, tenui latet obrutus urna.
Pompei te Nilus habet nec Roma Catonem,
Qui docuit proprio scelerare in sanguine dextram.
Te dolor heu quantus feriet fortissime Cesar,
Si qua pios manes patriae modo gratia tangit
Seu magis astra colas, cum nemo obsistere Turco
Audeat et tanta trepident formidine gentes,
Cum genus acre virum et pubem Mavortis alumnam
Condit humus, tantum monstrent ruitura labores
Moenia nec quicquam restet nisi nomen et umbra.
Hei ubi pro patria tua Roma potentia nunc est!
Exoriare aliquis Iuli de sanguine vindex,
Qui fidei accinctus clipeo vocet agmina regum
Caesareosque duces terrisque exterminet hostes.
Te ciet illa parens, cuius sub numine rursus
Laeta triumphales Capitolia ad alta videbis
Ire ducum currus victasque ex ordine gentes.
Namque super Poenos Arabes Ethyopas et Indos
Oceanique manus austrum boreamque sonantem
Imperia extendes nullis confinia terris.
Iunge acies tantum, Pandonides adde Latinis
Pannoniosque duces, Caesar, quos Marte lacessis.
Quam melius toto certasses corpore regni
In Turcos: haec ista decet non tempore tali
Militia et pulchri non sunt sine laude triumphi.
Imperium si quid solitae virtutis et altae
Maiestatis habet, fidei si vincula sentis,
Ante deum sancita (utinam non irrita) dextra
In Teucros diverte acies et desine coeptis.
Non audis gemitus et caesae funera gentis?
Ante aras sanguis clamat tibi fusus ad aures,
Ante oculos strages hominum miseranda iacet nunc.
Quid tandem expectas? Muros quatit impius hostis

129 reges *B* || 138 videbit *AB.* videbis X, 125. || 152 Nun *codd.*

Marte tuos propiusque malum fit deside cura.
Si te nulla movet pietas et gloria belli
Atque eadem mens est, qui nos urgere tuentur,
Servitio potius premat et dominetur Amyrras
Quam tua iura volent. Ego te sate sanguine Iuli
Per patriam et quicquid pro relligione decorum est
Obtestor, per signa crucis, quam demon in orcho
Horruit effractoque expavit Cerberus antro
Eumenis et diri siluere Exionis axes,
Haud operi desiste, ducem caput omnibus armis
Anguigerum et totis qui gentibus imperet unus
Instituas. Spes in te omnis, tu Romulus ille,
Tu Marcellus eris, Decius tu Caesar et ambo
Scipiadae et quicquid virtus Romana dedisset.
Tempus erit, quo (si dederint pia numina vitam)
Primus odorata redimitus tempora lauro,
Ni tua maiestas carmen mortale recuset,
Marte triumphatas accingar dicere gentes.

IX.

Oracii Romani ad Pium II. Pont. Max. de pietate unde dicatur et quod quina pietas sit in Pio quemadmodum quinque lunae in armis designantur, prima in deum, secunda etc. ut in proposito.

Ii Iovis ante thronum, quoniam non possumus ipsi,
  Unde Pio nomen consule Caliope,
Unde genus, quibus eloquium de fontibus hausit,
  Ingenii virtus unde sit illa sui.
Haec ego vix Pietas Iovis id sine numine possum
  Dicere: fit nomen a pietate Pio.
Cetera quid referam caelesti digna coturno?
  Non sunt mortali nobilitanda lyra.

IX. A fol. 157r. B fol. 148r.

Illa ego sum custos, dum sontibus ira tonantis
Fulminat humanis, ante deos Pietas.
Sum dea, sum superis comes una et fida satelles,
Cum precibus mecum iuncta soror Venia est.
Vis mea vis ingens, sed tunc mihi plurima, quando
Exhibui munus pontificale Pio.
Sic ego Roma tuis extrema in tempora rebus
Consului, cum spes nulla relicta foret.
Officii memorem tanti quem publica rerum
Cura subit, qualem principis esse decet,
Consilio atque opibus Christi contendit in hostem,
Servet ut innocuas improbus ille manus.
Difficiles magnis superavit sumptibus Alpes,
Perfecit pietas, quod valetudo nequit.
Sub pedibus nostris atrox cecidisset Amyrras,
Esset principibus si pietatis idem.
Idem si reges populosque incenderet ardor,
Hostis ab Europa verteret ille manus.
Sed pietas fit quina Pii, velut ordine lunae
Caerula designant quinque per arma crucem.
Eneas primam laudem pietatis adeptus,
Hostili quoniam traxit ab igne lares.
Sic ego prima Pio, cum relligionis honorem
Et decus et laudes et sua facta putet.
Ille idem Eneas medioque ex hoste parentem
Abstulit: et pietas illa secunda fuit.
Illa secunda Pio est: iaceant ne inhonora parentum
Ossa, solo condi nobiliore iubet.
Non magis Ida Iovi nec Phebo Delia tellus
Grata fuit, tumulus quam fuit ille suis.
Illic angelici spirant in marmore vultus,
Pontificisque sonat carmen ab ore Pii:
Silvius hic iaceo, coniunx Victoria mecum est;
Filius hoc clausit marmore papa Pius.

---

30 deos *B* || 31 relligione *A*

Quid poterat maius reddi viventibus, o Pi?
Carminis obsequio vivit uterque tuo.
Haec laus, haec pietas summumque in funere munus
Gloria perpetuae posteritatis erit.
Omnia cum raperet mors invidiosa per aevum,
Sola sepulchrali victa decore fuit.
Tertia si quid erit misereri et parcere victis,
Quos liquet excessus penituisse Pium.
Quanta sui in domitos pietas, domus una Sabellae
Pluribus exemplo scilicet esse potest.
Parcere subiectis quam debellare superbos
More dei visum lautius esse Pio.
Discite ab exemplo Pi quisque ignoscere victis,
Nil pietas aliud hoc sua maius habet.
Non aliter Caesar divum meruisset honores,
Unde Pio soboles Iulia fecit avos.
Nativae telluris amor fit in ordine quarta:
Quam satis est ultra diligit ille suos.
Omnia cum superet, solo superatur amore.
Principis o pietas officiosa nimis!
In medio laus est: superi moderata secundant,
Aucta ruunt nimium pondere pressa suo.
Artibus ingenuis et vatibus ultima restat,
His decus hoc illi pontificale fuit.
Si pius est, vates, quorum sibi gloria prima est,
Spectet, enim vates et coluisse pium est.
Ipsa licet per se radiet, sine carmine virtus
Deficit: ignorant carmina sola mori.
His illustrari tantum sua saecula possunt
Et genus et mores, cetera mortis erunt.
Et si Pyerides multorum pectora flamment,
In laudes feriat plurima dextra lyram.
Non illo gravius quisquam perstrinxerit, unde
Ediderit proles Piccolomina Pium.

---

67 Si pius es *codd.* ‖ 76 piccolhomina *B*

Sic illi virtus divina et spiritus implet
Ingenium, candor tantus ab ore nitet.
Sed tua rauca sonant nec munere dignus Orati
Frondis honoratae: rauce poeta vale!

X.

In laudem I. ducis Mediolani Oratius Ro. composuit.

Dux genus egregium bello quo sospite nunquam
Res Italum reor externae succumbere genti,
Cernis ut insultet furiis agitatus Amyrras 4
Successu rerum domita quam nobile quondam 5
Hospitium pelagi Pausania condidit urbe 6
Concipit Europen. Italos satis esse fatetur, 7
Conatus qui iam tantos et vota morentur. 8
Nec minus audaci populos premit undique bello 9
Finitimos urbesque et agros et regna lacessit 10
Pandoniae, ac ripas Histri circumsonat armis 11
Otumani genus, obscurum trans accola pontum 12
Euxinum et Tanaim Mahomes erupit ab orcho, 13
Qui ferro et flammis caelum populetur et orbem. 14
Si non vis animi necdum vigor ille recessit
Martius ante dies, o quid teris otia frustra 44
Ductor et imbelles sinis ire inglorius annos? 45
Non illi regnum Italiae veterumque labores, 53
Sed tibi fata parant. Nam rebus ad ultima lapsis 54
Dum spes nulla tibi, quotiens fortuna refulsit! 55
Imperium optasti Ligurum: non irrita voti 56
Sors fuit; hostiles collato Marte catervas 57
Fulminis in morem fudit tua vivida virtus. 58

X. Cod. 1437 Bibliothecae regiae Lucensis (Cod. Lucchesini Nr. 149) fol. 73r—75v. Titulus alia manu scriptus est; numeris dextro lateri versuum adscriptis significantur versus carminis VIII.

In caput arma tuum moliti et foedus et iram 59
Regnator Siculum Venetique: in turbine rerum 60
Vis (inopem quamquam auxilii) non terruit ulla. 61
Quin auro atque opibus fidentes fortibus armis 62
Saepe renitentis Venetos ad foedera duxti. 63
Hanibalem totiens victum Picininiaque arma 64
Vidimus et mediis Veronae moenibus olim 65
Eiectum, cum tot galeas et scuta virosque 66
Fluctibus involvens Athesis mare decolor intras. 67
Quid super Ausonias acies aut oppida victor 68
Edideris memorent alii, quibus auxeris armis 69
Rem Venetum, populos quot sub dicione dedisti. 70
Si decus Ausoniae vel relligionis honorem
Respicis, aeternum numen si virginis alvo
Includi reris voluisse et corpore fungi
Mortali, cum nil in se mortale fuisset,
Supplicium ob noxam primi subiisse parentis,
Aude animi fidens quo te vocat ardua virtus! 74
Sentiat ille acies et quae tibi fulmina Mavors 71
Suggerit, et quantus sis experiatur in armis. 72
Sit labor inprimis Italas adiungere vires;
Huc studium converte omnemque huc dirige mentem. 31
Dives opum variarum armentosissima tellus 37
Auxilia arma et opes aurum frugesque virosque 38
Italia undanti fundet pulcherrima cornu. 39
Non opus externis belli pro nomine vires: 27
Sufficiunt Italae, modo si cumulentur in unum, 28
Tutari Ausoniam et venientes pellere Turchos, 29
Quin Asiam atque oriens iterum sua sub iuga mittant. 30
Delige praestantes virtute et viribus annos. 41
Assueti bello Insubres Boii Lyguresque
Agmen agant equitum coeant simul undique gentes
Sfortiadum anguigerumque et ventilet anguis in auras, 51
Eminus auratae radient diademata frontis. 52
Adriaci ad litus mediis super aequoris undis 75

---

34 sub ditione dedit || 51 mittent

Urbs Venetum pollens opibus et classe parata 76
Fundatur; late populis dat iura senatus. 77
Hi quondam assiduo soliti contendere Marte 78
Infestumque genus toto detrudere ponto 79
Et mare inoffensum servare ac litoris oras 80
Sceptraque vix pelagi Neptuno tuta relinquunt. 81
His si certa sedet belli sententia, quamquam 82
Sint in amicitia Turchorum et foedere vincti, 83
Armabunt classem: maculas abolere patentis 84
Criminis haud alias et dira piacula possunt. 85
Non deerit auxilio forti tutatus Etruscos
Marte Sigismundus, qui vertere terga coegit
Alfonsum, cum te Populonia cingeret armis.
Quisne illum, quem non acies nec tela nec enses
Ferre valent, quem non medio in certamine quisquam
Audet adire, licet fortuna infensa repugnet . . . .
Non tamen indecorem te dux mea musa relinquet.
Mox Siculum poteris regnorum arcessere vires 88

Sequuntur 35 carminis VIII versus 89—123, ubi variae lectiones annotandae sunt haec: 92 pater neptunus 97 Cumea resolvet 100 Sub duce te turchus 102 Circes 107 Quid mea Roma paras 121 arsura turchorum 123 iacet obrutus

Te dolor heu quantus feriet fortissime Cesar, 126
Si qua pios manes patriae modo gratia tangit 127
Seu magis astra colas, cum nemo obsistere Turco 128
Audeat et tanta trepident formidine gentes! 129
Magnum Roma cie saltemve arcesce Catonem,
Qui proprio docuit scelerare in sanguine dextram, 125
Si genus acre virum et pubem Mavortis alumnam 130
Condit humus, tantum monstrent ruitura labores 131
Moenia nec quicquam restet nisi nomen et umbra. 132
Hei ubi pro patria tua Roma potentia nunc est! 133

---

65 amicitiam || Post v. 73 aliquid videtur excidisse. || 119 nequicquam

Exoriare aliquis Iuli de sanguine vindex, 134
Qui fidei accinctus clipeo vocet agmina regum 135
Caesareosque duces terrisque exterminet hostem. 136
Antistes sit Roma Pius, quo principe rursus
Laeta triumphales Capitolia ad alta videbis 138
Ire ducum currus victasque ex ordine gentes. 139
Ille super Poenos Arabes Ethiopes et Indos 140
Oceanique manus austrum boreamque sonantem 141
Imperia extendet nullis confinia terris. 142
At tu dive pater, coelum cui creditur et spe
Cuncta foves hominemque Iovi si penitet alto
Concilias, pedibus quamquam gravis et gravis aevo,
Difficiles magnis superasti sumptibus Alpes 21
Utque bonis tantum communibus aspera passus 22
Consuleres: haec una tibi via visa salutis, 23
Scilicet ut Christi reges qui signa sequuntur
Conveniant ubi te recepit modo Mantua primum, 24
Mantua principibus tellus delecta vocatis 25
Hostis in excidium. Quod si tibi longius aevum 26
Fata dabunt, Asiae solito ruet omine regnum.
Tu tamen ante Italum metire in proelia vires,
Discordes populorum animos regumque ducumque 32
Redde in amicitiam. Coeant in foedera gentes, 33
Omnibus una salus unum et commune periclum, 34
Sit labor unus et una indeficiensque voluntas. 35
Hesperia in Turchos totis vomat aedibus aurum! 36
Iunge acies tantum, Pandonides adde Latinis 143
Pandoniosque duces, Caesar, quos Marte fatigas. 144
Quam melius toto certasses corpore regni 145
In Turchos: haec ista decet non tempore tali 146
Militia et pulchri non sunt sine laude labores. 147
Imperium si quid solitae virtutis et altae 148
Maiestatis habet, fidei si vincula sentis, 149
Ante deum sancita (utinam non irrita) dextra, 150
Ne divina obitum pro religione recuses,

---

137 recepit || 146 vovat || 157 Nun

In Teucros iam verte acies et desine coeptis. 151
Non audis gemitus et caesae funera gentis? 152
Ante aras sanguis clamat tibi fusus ad aures, 153
Ante oculos strages hominum miseranda iacet nunc. 154
Quid tandem expectas? Muros quatit impius hostis 155
Marte tuos propiusque malum fit deside cura. 156
Tuque tuos urges; nonne hi Pandones et Hystri?
Si te nulla movet pietas nec gloria belli

Sequuntur 16 ultimi carminis VIII versus 158—173, ubi varia lectio: 158 mens sit 164 exsionis angues
Carmen nostrum constat versibus 179.

Petri de Godis de Vicentia de coniuratione Porcaria dialogus.

Superbiam ambitionem et praesumptionem temerariam Stephani de Porcariis militis Romani demirans scribam eius factionem contra Nicolaum papam quintum et ecclesiam Romanam. Scribam quidem ut iudicium dei quod super ea re processit, velut existimo, nos legentes seu audientes iudicium dei miremur et timeamus. Et ut plenius et clarius loqui possim sub moralium stilo, brevissime exarare rem ipsam institui. Itaque Bernardinum doctorem Senensem ad curiam Romanam venientem a Fabio Romano scolare, qua de re Stephanus Porcarius furca suspensus fuerit, quaerere faciam et Fabium factionem narrare ac Bernardinum ipsum verbis Fabii auditis decla-

Cod. Vaticanus lat. 3619 (*V*). Cod. msc. 26. 4° bibliothecae Wallenrodtianae (*K*). — Titulus deest in codd. Ad laudem dei & Nicolai pp̃e Quinti *V*. In superbiam ambicionem et presumptionem temerarias Stephani de Porcariis militis Romani commissam in summum pontificem Nicolaum quintum anno dominice incarnationis M°. CCCC°. LIII° circa festum Epifanie domini. *K*. ‖ 1 I]n superbiam *K*. temerarias *K*. ‖ 2 demonstrans *K*. ‖ 4 Romanam non propter ipsam rem sed propter iudicium dei *K*. ‖ 5 ut nos legentes *K*. ‖ 6 planius *K*. ‖ 7 stillo *V*. ‖ 9 Senensem doctorem *K*. ‖ 10 de Porcariis *K*. ‖ 11 et— narrare *deest* *K*. ‖ 12 declarere *K*.

rare deum in hoc actu iudicium suum mirabiliter operatum fuisse et dicere alia incidentia oportuna.

Fabius. Bene adsis, doctor et pater mi!

Bernardinus. Fabi, salve! Quae turba est haec? quis est, qui pendet, et quare?

F. Stephanus Porcarius hic est, qui magnanimus non contentus civium condicione ad dominium Romae ambiebat.

B. Relegatus erat Bononiae; quando venit?

F. Is relegatione contempta in quatuor diebus de Bononia Romam venit. Tribus diebus stetit Romae occultus factionem exequi parans, qua summum pontificem et cardinales capere et occidere ac bona omnia eorum rapere ac etiam curiales omnes et mercatores forenses depredari et se tribunum plebis facere intendebat.

B. Quid audio! feritas grandis! procede! Quomodo factio ad lucem venit?

F. Aliqui ad factionem appellati revelarunt reverendissimis dominis Dominico de Crapanica tituli sanctae Crucis presbitero Cardinali, civi etiam Romano, et Nicolao de Amigdanis episcopo Placentino ac papae vicecamerario. Hi summo pontifici rem quam citius retulerunt. Vicecamerarius postea statim missis prius aliquibus peditibus circiter quinquaginta magnanime ac per eum vocati senator, conservatores, capita regionum urbis ac merreschalchi domum Stephani Porcarii, in qua Baptista Sarra civis Romanus armiger bannitus cum certis sociis pro factione stabat, accessere. Sed audiens haec Baptista exivit animose per portam ipsius domus et per pedites transiens cum quinque sociis vicecamerario seorsum et in platea Minervae tunc existente et non vidente liber evasit, ali-

---

2 fuisse et de bono regimine Nicolai pape quinti dicere ac in spiritualibus et temporalibus dominio pape *K.* ‖ 6 *ad vocem magnanimus: Ber. arguit hoc verbum inferius V in marg.* ‖ 7 condicione civium *K.* ‖ 10 Rome stetit *K.* ‖ 14 depredare *K.* ‖ 17 revellarunt *V.* ‖ 20 Placent. et *K.* ‖ 24 mariscalli *K.* ‖ 25 ad domum *K.* ‖ 26 diffidatus seu bannitus *K.* ‖ 29 tum seorsum *K.*

qui alii per alias portas domus et posticos etiam libere exivere. Redeunte vero ad portam ipsius domus vicecamerario capti sunt ibi quatuor forenses a Baptista conducti sed factionis ignari.

B. Audacia et praesumptio maxima! Quid facere potuissent tam pauci viri! Video leporem contra leonem bellare velle.

F. Sile, mi doctor, et alii favebant et inter hos Jacobus Lellicechi, Angelus de Maso, qui filius Martini papae V dicebatur, Stephani Porcarii sororii, Nicolaus Gallus canonicus basilicae sancti Petri, ipsius ex alia sorore nepos, in quorum domibus reperta sunt arma plura. Et Jacobus ille, ut haberet pecuniam pro armis et sociis, hiis diebus vendiderat pro mille ducatis domum unam Jacobo Calvo soldano papae.

B. Hui si vicissent, habuerat is pecunias et domum rehabuisset et plenam.

F. Et Angelus ipse cum Clemente eius filio (nunc etiam in furca Capitolii propter hoc suspensi pendent) hii plebem de facili sublevassent, tum cupiditate praedae, tum quia multi sunt banniti et condempnati acrius, quam se de iure mereri putent.

B. Quomodo Stephanus et Angelus cum filio capti sunt?

F. Clemens filius ipse sentiens factionem palam esse ivit domum patris et patiens seu fingens se pati febrem se posuit in lecto. De ipso dictum erat vicecamerario, sicque de mandato eius merreschalchi iverunt ad capiendum Clementem ipsum et invenientes in lecto ceperunt eum et in domo illa multa arma pro factione invenerunt. Interim emissum fuit bampnimentum, quod qui ceperit vivum Stephanum lucretur mille ducatos, qui vero occidit

---

1 seu postica *K.* ‖ 8 Scile *V.* ‖ 9 bellichechi *K.* ‖ 16 Hii si fecissent *K.* ‖ 19 propter hec *K.* ‖ 21 banniti et diffidati et acrius *K.* ‖ 22 mereri de iure *K.* ‖ 26 ad domum *K.* ‖ 28 marescalli *K.* ‖ 31 bannimentum *K.* ‖ 32 occiderit *K.*

eum, quingentos, qui recipit eum et non revelat, furca suspendatur. Deinde tum propter arma reperta habitus suspectus Angelus, eo quod arma illa inscio ipso et invito in domo sua locari non potuerant, tum per dictum filii captus fuit eadem die, qui in domo amici sui latitabat. Vicecamerarius postea in Capitolio de malis moribus, seditione, factione et ingratitudine Stephani sermonem fecit, Johannes Baroncellus civis Romanus advocatus concistorialis pro populo Romano responsum dedit et narrans pacem continuam tempore Nicolai papae V et tot beneficia, quae urbi contulerat, iusticiam super factione faciendam fore conclusit. Franciscus Gabadeus Romanus pauper servitor nobilium et Stephani amicus hoc die obtulerat se, si quid posset, sorori Stephani uxori Jacobi Lellicechi. Facta iam nocte cum in domum eius secrete se reduxisset Stephanus, soror ipsa ad se accersiri fecit Franciscum ipsum. Accessit ad eam, ibique Stephanus dixit: „amice, veni mecum; rogo, eamus domum domini Latini cardinalis Ursini; ibis ad eum primo, expectabo inferius et exorabis eum, quod velit receptare me in domo sua.“ Sic pervenerunt domum cardinalis Ursini. Franciscus ascendit ad cardinalem, cardinalis audito eo detinuit eum, Stephanus audiens fugit et ivit domum alterius sororis suae in regione Arenulae. Cardinalis misit Franciscum ad vicecamerarium, vicecamerarius vero in turrem soldani papae. Is ibidem requisitus, ubi esse poterat Stephanus, dixit: debet esse in domo sororis suae in regione Arenulae. dixit enim mihi: et si cardinalis nollet

---

1 revellat *V.* || 2 *ad voc.* reperta: *ar. non in l. II ff. de furtis per Bar. V in marg.* — *Deinde* — *latitabat* ante priorem periodum *Interim* — *suspendatur* legitur in *K.* || 3 eo *deest K.* inscio illo *K.* || 4 propter dictum *K.* || 8 de Baroncellis *K.* || 10 tempore istius pontificis *K.* || 12 Sabadeus *K.* || 15 bellichechi *K.* || 16 reduxisset se *K.* || 17 istum *K.* sibique *K.* || 20 me acceptare *K.* || 23 ad domum *K.* || 25 turrim *K.* || 26 poterat Steph. esse *K.* || 28—p. 61, 2 dixit — Arenule *desunt in K.*

receptare me, revertentes ibimus domum sororis meae in regione Arenulae. Ex mandato superiorum tres merreschalchi Romani, unus etiam senatoris iuvenis fortis cum sociis hora octava noctis iverunt domum dictae sororis et circumdata domo a sociis merreschalchi cum aliquibus sociis domum intrarunt. Stephanus in lecto iacens, vestitus tamen, audiens istos se fecit includi in capsa una sororis et super capsa ipsa sedens se posuit soror cum altera muliere. Quaeritant omnes partes domus, coffinos tandem et capsam illam et ita repertum ceperunt Stephanum et ad palacium papae apud sanctum Petrum vi conduxerunt. Ibidem examinatus confessus est, qualiter disposuerat quam plures, qui papam, qui descensurus erat in basilicam sancti Petri ad missam in die Epyfanie, quae fuit dies secunda post revelationem factionis, capere praesumebant, ad capiendum eum et quam plures alios ad eadem hora Capitolium capiendum. Ac statuerat subsequenter occidere, rapere, ut supra dixi. Deinde circa auroram diei ductus fuit in castrum sancti Angeli, ubi stetit per tres dies usque hodie, quo ibidem pendet, ut vides.

B. Audivi a te hanc rem seriose, ex qua deum mirabiliter operatum esse cognosco. Maxima caecitas Stephani: ire volebat in potestatem unius ex principalioribus membris sedis apostolicae, quam persequebatur. Quos deus odit, illis aufert intellectum. Odit autem impios peccatores. Quomodo autem homo magis peccare potest quam cum offenderet vicarium Christi, qui est papa? Dixisti: qui magnanimus non contentus civium condicione ad dominium Romae ambiebat. Vide, quomodo deus hanc magnanimitatem — quamvis Stephanus magnanimus nun-

---

2 Ex mand. itaque superioris *K*. marescalli *K*, *ut semper*. || 4 domum iverunt *K*. || 8 ipsa capsa *K*. || 9 cofinos *K*. || 10 Stephanum ceperunt *K*. || 11 pallacium *K*. || 12 confessus *deest K*. || 13 papam descensurum *K*. || 17 Et stat. *K*. || 18 Deinde Stephanus *K*. || 20 suspensus pendet *K*. || 23 Cecitas maxima *K*. || 27 quam offendere *K*. || 31 quam Steph. *K*.

quam fuerit, sed homo loquax, in quali raro magnanimitas cadit, nec haec magnanimitas dici debeat, ut ostendam — convertit in femineum timorem. Ad mulierculam enim Stephanus se reduxit. Vilitas grandis! Debebat Stephanus, si magnanimus more tuo fuisset, per amicos currere et cum amicis circumiens regiones urbis clamando: vivat populus et libertas! et offerendo praedam omnium bonorum papae et cardinalium, curialium et mercatorum populum movere et levare, capere Capitolium, quod tunc de facili per populum capi potuisset, quia parati tunc non erant in urbe pedites quinquaginta, deinde ad palatium papae currere et cum securibus portas eius frangere. Nox est longa, multa fieri poterant una nocte. Dicens haec tremesco, profecto credo plebem faciliter assensisse cupiditate praedae, de nocte maxime, quae semper audaciam delinquentibus facit. In capsa se posuit — vilitas maior! Potuisset exire domum per tecta in tecta vicina. Nox erat et quaerentes ex vigilia iam lassi. Evasisset quippe liber, postea, in urbe sunt tot edificia diruta, tot vineae, tot turres in muris, secure latitasset in urbe per dies plures. Sed confusus fuit iudicio dei. Crede, terribilis deus in consiliis super filios hominum. Et ille Clemens non cogitans quam grave sit crimen laesae maiestatis, etiam se perinde ac si ex aere alieno ad iudicium evocandus esset, credens se excusare per febrem posuit in lecto. Quis caecus non videt haec esse ex iudicio dei? Nunquam audivi aliquem, qui molitus fuerit contra ecclesiam Romanam, bene finire, et deus mirabiliter semper punit ecclesiam persequentes. Praeterea haec non erat magnanimitas. Magnanimus enim est, qui rationabiliter

1 nunquam magnan. *K* ‖ 4 enim *deest* *K*. ‖ 6 circuens *V*. ‖ 8 pape cardinalium *K*. ‖ 9 populum — levare *desunt* *K*. ‖ 14 faciliter *deest* *K*. ‖ 18 fassi *K*. ‖ 19 dirruta *V*. ‖ 20 securre lititasset *K*. ‖ 22 filiis *K*. cf. Psalm. 65, 5. ‖ 23 lege *K* lese *V*, ubi in marg.: *quisquis c. ad l. iul. maiē.* ‖ 24 ore *K* ere *V*. ‖ 25 posuit se *K*. *ad vocem* febrem: *l. II § siquis iudicio ff. siquis cautio* *V* in marg. ‖ 29 prosequentes *K*. ‖ 30 racionabilia palam *K*.

et palam aggreditur et qui non gerit conflictum, nisi indixerit (nam fraudes et dolos imbecillem decet habere) et qui pericula non appetit ut temerarius. Sed praesumptio temeraria est ista. Namque etsi Stephanus populum levasset et rapuisset, ut praefertur, tamen non cepisset summum pontificem, quia invisibiles non ivissent et rumor videntium processisset et aliquis etiam ex Romanis ipsis festinanter papae nuntiasset et papa fugere poterat in castrum, deinde ad terras ecclesiae vicinas se transferre, postea parasset exercitum contra Stephanum. Quomodo Stephanus resistere poterat? Scimus urbem nullas opes habere nisi a curia Romana. Unde haberent Romani pecunias pro gentibus armorum? quos fructus colligere, quomodo armenta et greges suos tenere possent exercitu ecclesiae Romanae comitatum urbis pessundante et depopulante? Etsi Nicolaus papa V captus fuisset et occisus, alius in papam assumptus similiter Stephano bellum parasset; si vero populus Stephanum offendere personam papae capti permisisset, veniebant super populum ipsum maledictiones psalmi: laudem meam ne tacueris, quia offendere et occidere papam, qui representat Christum, esset iterum in persona papae offendere et occidere Christum. Credo tamen, quod maiores populi huic feritati non assensissent, quinymo quia dedignati essent subesse Stephano, et propter damna, quae tunc passuros se vidissent, ad ecclesiam Romanam confestim rediissent Stephanusque demum vel vi belli a papa moti vel rehabita a

2 dolos facere imbecillis est *K.* ‖ 4 erat ista *K.* Nam *K.* ‖ 6ff. invisibiles — papa *desunt K*, *ubi legitur:* quia ipse audiens populi furorem fugere poterat in castrum vel per vineam suam et ad terras ecclesie se transferre ‖ 10 deinde parasset *K.* ‖ Qualiter *K.* ‖ 13 quomodo fruct. *K.* ‖ 14 exercitu *deest K.* ‖ 16 Etsi papa captus *K.* ‖ 19 capti *deest K.* ‖ populum *deest K.* ‖ 20 psal. *V.* deus laudem m. *K.* cf. Ps. 108, 1. ‖ 21 occidere vel offendere *K.* ‖ 22 esset occidere vel offendere in persona pape nuperrime Cristum *K.* ‖ 24 quinimo quod dedignantes subesse *K.* ‖ 25 tum etiam propter damna, que se tunc pass. vid. *K.* ‖ 26 Stephanus *K.*

civibus urbe in laqueum incidisset, in quem incidit Pulcelletus, qui tempore Eugenii papae IIII rebellionis causa fuit. Ecclesia enim a civibus rehabuit urbem et Pulcelletus captus dimenbratus fuit. Praeterea si hii Stephanum secuti fuissent, ho quam ingrati extitissent! Habuerunt enim et habent a Nicolao papa V quicquid petunt, officia, munera, honores Romanique omnes continuo pacem, libertatem, exemptionem a collectis, decimis et angariis. Cogitent Romani singulorum Italiae populorum status, et omnes populos miseros, populum vero Romanum liberum felicem dicent. Quis meminit Romanos alio tempore fuisse in divitiis et pecuniis, in quibus nunc sunt? In quingentis annis praeteritis non fuerunt Romae tot vestes sericeae, iocalia, gemmae, quot tempore Nicolai papae V fuere. Is summus pontifex urbem etiam edificiis magnificavit, palatium enim apud sanctam Mariam maiorem, aliud conservatorum a fundamentis construi, Capitolium, muros urbis undique reparari et fortificari ac [circa civitatem Leoninam] novos muros fieri, palatium apud basilicam sancti Petri pro maiori parte in forma magnifica reedificari, turres illas ac muros claudentes palatium istud grossissimos et mirabiles ab ipsis etiam fundamentis construi, castrum sancti Angeli fortificari, super illud habitationes pulcherrimas fieri, ecclesias plurimas reparari, ecclesiam sancti Stephani rotundi in Celio monte, quae

---

3 a maioribus *K*, ubi *rehabuit* excidit. || 4 si maiores hii *K*. || 5 o quam ingr. fuissent. Habent enim a presenti summo pontifice Nic. p. quinto *K*. || 7 Romani quoque omnes sub eo habuerant continuo et habent pacem *K*. || 9 populorum subditorum *K*. || 11 felicem et liberum *K*. || 15 fuere. Et curia Romana omni die mille ducatos expendit, quorum maior pars convertitur in Romanorum utilitatem. Nicolaus papa quintus eciam urbem *K*. || 16 enim *deest* *K*. maiorem, aliud apud basilicam Lateranensem, aliud conserv. *K*. || 18 et circa civ. Leon. *K*. circa civitatem *erasum*, Leoninam *margini adscriptum in V*. || 19 muros *deest* *K*. || apud sanctum Petrum *K*. || 21 turres illesas ac murum *K*. illud ad sanctum Petrum per gross. et mir. muros K. || 22 etiam *deest* *K*. || 24 plures *K*.

ad totalem ruinam devenerat, totam fieri ac ecclesiam sancti Theodori super fundamentis antiquis primo etiam de mandato suae sanctitatis constructam, deinde uno impetu defectu fundamentorum penitus dirrutam iterum statim a fundamentis novis reedificari ac tribunal magnificum et sumptuosum basilicae sancti Petri, cuius fundamentum usque ad centrum terrae profundum existit et latitudinis cubitorum XXV, similiter construi ac ecclesiam beatae Mariae rotundam de lamnis plumbeis totam cooperiri facit.

F. Ita est, et credo, quae dicis, doctor, de iudicio dei. Audivi enim etiam a patre meo, quod tempore Eugenii papae IIII aliqui presbiteri avaritiae pravitate caeci gemmas preciosiores, quae erant circa capita beatorum apostolorum Petri et Pauli, callide furati fuerunt et divulgato furto fugerunt volentes ire Neapolim; itinerabant die noctuque; quando credebant esse apud Neapolim, reperiebant se iuxta Romam et hoc per plures dies evenit eis et capti ita sunt confessi, postmodum ultimo supplicio dati, ita quod mirabiliter iudicio dei confundi credo quoscunque, qui sacram religionem seu in rebus seu in personis religioni dedicatis contempnunt et offendunt.

B. Gaudeo, quod gustes haec divina, fili mi.

F. Sed interim bonis pecuniis papae, cardinalium, curialium, mercatorum, forensium raptis Stephanus se et populum substentasset et papa sic urbe et bonis spoliatus pecuniam pro guerra non habuisset. Forsanque rex Aragonum vel aliquis baro Romanus Stephano subsidium porrexisset aut interim fortassis Nicolaus papa V decessisset et alius forsitan ultramontanus assumptus ad papatum

6 ac sumptuos. *K.* cuius fund. est profundum usq. ad centr. terre *K.* ‖ 8 construi fecit *K.* ‖ 9 rotundam totam de laminis plumbeis cooperiri *K.* lamis *V.* ‖ 11 Ita est credo que *K.* ‖ 12 etiam *deest K.* ‖ 21 quoscunque *deest K.* ‖ 25 et pecuniis *K.* ‖ 27 *B. arguit hec dicta inferius V* in marg. ‖ 29 auxilium porrexisset ac *K.* ‖ 31 vel alius *K.*

foret, qui Italiam relinquens curiam ultra montes tenuisset, et sic Stephanus Romae securus remansisset.

B. Verba sunt haec. Pecunia non potest deficere papae, nam de hora in horam undique confluunt pecuniae ad papam, ubicunque sit; Stephanus autem consumpto spolio unde pecuniam habuisset? Preterea rex Aragonum semper fuit ecclesiae Romanae protector, tempore Eugenii papae IIII gentes armorum suas et etiam personam suam exposuit ad recuperandam Marchiam Anchonitanam de manibus comitis Francisci Sforcia nunc ducis Mediolani. Ha quomodo credere potes, quod rex prudentissimus Stephano civi Romano pauperrimo potius favisset quam summo pontifici? Similiter quis baro Romanus hoc fecisset, quia hoc non est rationabile nec credendum est. Ac etiam credo, quod recuperata cito Roma foret, ut predixi, et sic rapta restituta fuissent: namque quando Eugenius papa IIII fugit ex urbe, tunc camerarius papae detentus fuit a Romanis, aliqui etiam curiales depredati, postea vero cito Roma ad ecclesiam reversa camerarius relaxatus fuit et omnia bona dominis eorum restituta fuerunt, quamvis Philippi Mariae tunc ducis Mediolani gentes armorum et aliqui barones Romani ipsius ducis amici contra ecclesiam romanam forent. Quod papa extra Italiam curiam teneret, non credas. Scit enim omnis homo, quod sedis apostolicae residentia propria in urbe est, hic enim sedit Petrus, hic est cathedra Petri et ecclesia semper ecclesia Romana appellatur nec apud populos alius verus papa tenetur quam ille, qui Romae residet. Unde si verus papa alibi resideret et alius per concilium vel alio colorato modo eligeretur et assumeretur in papam et Romae resideret, is alius a populis verus papa crederetur. Preterea papae residenti in terra aliena imperatur a dominis

6 Rex preterea *K.* ‖ 8 etiam *deest K.* ‖ 9 recuperandum *K.* ‖ 10 forcia *K.* ‖ 11 Ha *deest K.* ‖ 17 fuit *deest K.* ‖ 18 vero *deest K.* ‖ 19 *fuit* post *reversa* legitur in *K.* ‖ 20 et dominis eorum omnia bona *K.* quamvis etiam *K.* ‖ 23 romanam *deest K.* ‖ 29 consilium *K.* color. titulo *K.*

illius terrae et subditus est, residens vero in terra sua suis et aliis inibi habitantibus imperat et dominus est. Et si papa Italiam relinquet, et ipse a terris suis relinquetur. Quis timeret et revereretur papam amissis terris ecclesiae, si nunc contra ipsum terras habentem tam impie presumitur? Terris ecclesiae amissis oriretur contemptus clericorum, deinde heresis ydolatria persecutio christianorum martiria summorum pontificum, sicut antea in paupere ecclesia fieri solebat. Quamobrem papa et Romae stare et terras ecclesiae tueri debet ac etiam suam dicionem augere. In hoc enim mundo sola potentia timetur et veneratur.

F. Multi tamen dicunt, quod papa in spiritualibus tantum dominus sit.

B. Ad hospitium ire volo, fessus sum; cum alio die convenerimus, tibi super hoc respondebo. Vale.

F. Ecce doctor meus!

B. Fabi, iam septem diebus non vidi te, quid agitur? Nunc transiens per Minervae partes vidi domum Stephani Porcarii destrui.

F. Et etiam vicini mei Petri de Monte rotundo medici domus destruitur.

B. Et ipse estne de illis?

F. Est, et audio quod hiis proximis diebus ex intercessione episcopi Portuensis vicecancellarii papa eum in suum medicum acceptaverat et ei centum aureos donaverat.

B. Ho, venenasset papam in medicinis! Ingrati viri!

---

1 terre illius *K.* ‖ 3 relinquetur et ipse a terris suis, que cito dominos invenirent *K.* ‖ 5 contra papam *K.* ‖ 6 a cive presumitur *K.* ‖ 7 heresis et *K.* ‖ 9 Propterea papa non solum Rome *K.* ‖ 10 sed suam dicionem *K* dictionem *V.* ‖ 12 *sequuntur in K*: Istec enim prudencia cuiuslibet pape considerans alibi quam in terris suis Italie, Rome enim precipue, minime resideret. ‖ 14 dumtaxat dominus sit *K.* ‖ 26 papa *deest K* tum *K.* ‖ 27 centum ducatos *K.*

Audio etiam Stephanum Porcarium habuisse a camera apostolica in relegatione continuo singulis mensibus aureos XXV et ante relegationem officia honoranda et extra officia provisionem.

F. Verum dicis. Is pauper erat, cum istis provisionibus in precio fuit, alias ob paupertatem domum ex pudore non exisset. Profecto saepe extranea et exorbitantia sunt iudicia dominorum. Alius benefaciens, pacificus, dignus vix videtur ab eis, imo contempnitur, et malus, impius, seditiosus, indignus stipendio et honore sublimatur. Si vicisset Stephanus, vincebat cum reputatione, quam ei dederat hiis modis summus pontifex, quia alias ob eius paupertatem Stephano bubalarius non credidisset.

B. Sed estne in factione ista aliquis alius de Porcariis?

F. Minime. Ecclesiastici enim sunt et cives optimi. Dicit etiam Centius Porcarius, quod Stephanus ex superbia se de Porciis cognominabat, de stirpe scilicet illa Catonum antiqua, et cognomen stirpis de Porcariis, de qua vere erat, abiiciebat.

B. Omittamus ista. Recordor promisisse pridie me responsurum tibi dicenti, quod papa in spiritualibus tantum dominus sit. Audi et quae dicam vera sunt. Imprimis quod dicunt leges videlicet, quod imperator fuerit et sit dominus mundi, nego esse verum, et legibus Romanis credendum non est in hac parte, quia in hoc imperator de se ipso testimonium perhibet, sed nullus idoneus testis in re sua esse intelligitur. Dico autem imperium Romanum fuisse violentum, quod successit populo

---

1 camera pape *K.* ‖ 2 semper sing. mens. XXV ducatos *K.* ‖ 4 pinguem prov. *K.* ‖ 10 indignus stipendiatur honoratur et sublimatur *K.* ‖ 13 bubularius *K.* ‖ 14 in coniuratione ista *K.* ‖ 16 Apostolice enim sedi fideles sunt et optimi viri *K.* ‖ 17 Cencius *K.* ‖ 18 cognominatur *K.* ‖ 19 Cathonum *K.* ‖ 25 *l. deprecatio ff. ad l. rodiam de iactu V in marg.* ‖ 26 quia in eis *K.* ‖ 28 in se sua *K.* — *l. omnibus c. de teste V in marg.* ‖ 29 *l.* II. *ff. de orgi. iuris V* in marg., ubi praeterea: *Tarquinium.* — esse violentum *K.*

Romano, qui verum regem et dominum per violentiam regno spoliavit, cum auctoris vicium transeat ad successorem et noceat ei. Et etiam imperium Romanum universum mundum depredatum est. Sed regnum violentum non est permissum et omnis violentia ac rapina prohibita est secundum scripturam: non concupisces rem proximi tui. Et sic imperatores fuerunt regnorum occupatores, non veri domini, ac agnomen tale, quod sint domini mundi, usurpavere. At veri reges fuerunt et sunt, qui ob eorum virtutes a populis sponte et legitime reges eorum eligebantur et eliguntur, quique civitates, castra et loca nova sibi edificabant et edificant, per quorum bonum regimen et virtutes illa liberis hominibus undique confluentibus impleantur ac qui iusto bello regna et dominia sibi adepti sunt et adipiscuntur, eorumque legitimi successores. Bellum autem iustum est pro tuendis et recuperandis rebus suis aut quando fit ut sine iniuria in pace vivatur. Romani autem imperandi gloria ut plurimum nulla iusta causa subsistente bella moverunt. Rex vero regum et dominus mundi verus est papa, quia a Christo deo et domino mundi institutus est. Et ut ista bene intelligas, audi attente. Deus in principio creavit celum et terram et omnia, quae in eis sunt, angelicam et humanam naturam, spiritualia et temporalia. Ipsaque etiam temporalia per se ipsum rexit. Patet hoc videlicet, quod rexit ea, quia homini scilicet Adae, quem fecit, precepit dicens: ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas, ac ipsi, si non obediret, penam imposuit dicens: in quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Ac in Adam et Evam uxo-

---

1 veros reges et dominos *K.* ‖ 2 regno et dominio eorum *K.* *ad vocem* vicium: *l. pomponius § 1 ff. de acq. pos. V* in marg. ‖ 5 et rapina *K.* ‖ 6 Exod. 20, 17. ‖ 8 cognomen *K.* quod videlicet sint dom. *K* ‖ 14 at qui *K.* ‖ 15 ac eorum *K.* ‖ 16 *ad vocem* tuendis: *XXIIII q. i. Tullius in l° I officiorum V* in marg. ‖ 17—18 aut — vivatur *deest K.* ‖ 19 bella susceperunt *K.* ‖ 27 Genes. 2, 16. 17.

rem eius inobedientes sententiam tulit dicens Adae: quia comedisti de ligno, ex quo preceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus [comedes ex ea] cunctis diebus vitae tuae, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Evae vero dicens: in dolore paries filios et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui. Praeterea deus condempnavit Chaim, qui Abel fratrem eius interfecit, dicens: maledictus eris super terram, quae suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus et profugus eris super terram; egressusque Chaim habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Edon. Multa quoque alia signa regiminis fecit deus usque ad Noe. Ex tempore vero Noe cepit deus creaturas suas regere per ministros, quorum primus fuit Noe, de quo quod exercuerit officium sacerdotis ac fuerit rector populi ex eo apparet, quod sibi dominus gubernationem archae, per quam ecclesia significatur, commisit. Ac Noe post egressum archae edificavit altare domino et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundi obtulit olocausta super altare. Et dominus dixit ei et filiis suis: terror ac tremor vester sit super cuncta animalia terrae. Et Noe populum suum rexit ac a filiis eius post obitum patris divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam rexit familias in nationibus suis. In hac postmodum rectoria successerunt patriarchae, iudices, reges, sacerdotes et alii, qui pro tempore fuerunt in regimine populi Iudeorum.

Postmodum vero, cum sub imperio Romano ydolatria regnaret nec deus verus coleretur ac Romanorum scelera

---

1 Genes. 3, 17. 19. || 2 de quo *K.* || 3 *verba uncis inclusa om. codd.* || 5 tuo deest *K.* — Genes. 3, 16. || 6 Propterea *K.* || 7 Caim *K.* || 8 Genes. 4, 11. 12. 16. || 12 Eden *K.* || 13 regiminis temporalium *K.* || 17 arce *K*, *ubi verba* per — significatur *desunt.* || 18 Et ille *K.* Genes. 8, 20. || 20 holocausta *K.* || Genes. 9, 2. || 24 unusquisque scilicet linguam *K.* || 25 familias suas *K.* || 30 Roman. tunc tirannice dominancium *K.*

et peccata usque ad celum olerent, deus omnipotens Christum filium suum misit in terram regem regum et dominum mundi, ut illuminaret gentes in via veritatis, ac successive cessare fecit Romanam potestatem et destruxit illud imperium eius, ut in Daniele super sompno Nabughdenasor. Et ut melius intelligas, audiens verba ipsius Danielis, advertas, haec sunt. Tu rex videbas, et ecce statua una grandis; statua illa magna et statua sublimis stabat contra te et intuitus eius erat terribilis. Huius statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ere, tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis videbatur. [Videbas] ita, donec abscisus est lapis de monte sine manibus et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, es, argentum et aurum et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt a vento nullusque locus inventus est eius. Lapis autem qui percussit statuam factus est mons magnus et implevit universam terram. Hoc est sompnum, interpretationem quoque eius dicemus coram te rex: tu rex regum es et deus celi regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi et omnia in quibus habitant filii hominum et bestiae agri volucresque celi [dedit] in manu tua et sub dicione tua universa constituit. Tu es ergo caput aureum, et post te consurget regnum aliud minus te et regnum tertium aliud ereum, quod imperabit universae terrae, et regnum quartum erit velut ferreum.

---

3 veritatis. Et hoc nunciavit Marie per angelum suum dicentem: dabit illi dominus deus sedem David patris eius et regnabit in domo Jacob in eternum et regni eius non erit finis ac cessare fecit Romanam potentiam *K.* ‖ 4 *ad voc.* cessare: *Ezech. 37 c. V* in marg. ‖ 5 illam *K.* ‖ 5. 6 somnio Nabugodonosor *K.* ‖ 7 advertas attente *K.* *textus bibie V* in marg. — cf. Daniel 2, 31—40. ‖ 8 statura subl. *Vulgata.* ‖ 14 abscissus *Vulg. et K.* ‖ 17 extive *V.* ‖ 20 somnium *K.* ‖ 21 rex *V. Vulg., deest in K.* ‖ 27 minus te argenteum *Vulg.*

In diebus autem regnorum illorum suscitabit deus celi regnum, quod in eternum non dissipabitur, et regnum quod populo alteri non tradetur. Comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in eternum secundum quod vidisti, quod de monte abscisus est lapis sine manibus et comminuit testam et ferrum et es et argentum et aurum. Statua siquidem illa, Fabi, figuratur monarchia mundi, quae diversis temporibus singulis quatuor populis a deo permissa fuit, Assyriis primo, secundo Persis et Medis, tertio Grecis per Alexandrum, quarto Romanis, et quatuor regna illa sompni quatuor istec magna regna fuerunt, lapis vero abscisus figuratur Christus, qui natus est tempore Octaviani Romanorum imperatoris primi. Et ipse Christus rex regum missus a deo patre eius comminuit omnia regna haec et regnum mundi in se assumpsit et eius potestas usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae. Et factum est regnum huius mundi domini nostri Jesu Christi, de quo dicitur in Ezechiele: et faciam eos gentem meam et erit unus rex omnibus imperans, et in Mateo: data est ei omnis potestas in celo et in terra. In hoc autem imperio suo sive regno Christus instituit vicarium suum Petrum principem apostolorum in spiritualibus, dicens: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, in temporalibus etiam dicens: pasce oves meas.

F. Haec dicta subtilia sunt, tamen dicitur Christum Petro in temporalibus exercitium prohibuisse, cum sibi

1 Daniel 2, 44—45. || 2 regnum eius alteri populo *Vulg.* || 4 omnia regna et ipsum *K.* || 6 et *post* ferrum *deest K. Finis textus bibie V* in marg. || 7 siquid *K.* || 8 *ysydorus V* in marg. || 11 illa istec quatuor regna magna fuere *K.* || 12 abscissus *K.* || 14 Et ipse Christus *deest K.* || 15 hec et in hunc mundum venit rex de quo dictum erat: eius pot. *K.* cf. Zacharias 9, 10. || 19 Ezechiel 37, 22. ibi et faciam *V.* || 20 Matheo *K.* cf. Matth. 28, 18. ibi data est *V.* || 21 Hoc autem imperium suum sive regnum Cristus reliquit Petro principi *K.* || 23 Matth. 16, 19. || 25 Joh. 21, 15. || 26 Cristum temporalium administracione non usum fuisse, Petro in temp. *K.*

dixerit: mitte gladium tuum in vaginam, ac etiam dixerit: regnum meum non est de hoc mundo.

B. Fabi, armis fortissimis uteris, attamen non nocent mihi. Christus enim per verba illa non prohibuit perpetuo, sed pro tunc tantum. Si enim voluisset perpetuo prohibere, dixisset expresse per verba perpetuitatem importantia, teneas videlicet vel habeas gladium tuum in vagina. Preterea hoc exprimit Christus inferius, ibi: nunc autem regnum meum non est hic. Hoc verbum nunc quid importat, nisi tempus presens, et quod Christus tacite consentiat Petrum eius vices gerentem et successores eius gladio tempore alio uti posse? Ex predictis habes, quod Petrus fuerit dominus mundi in spiritualibus et temporalibus ac similiter domini sint sui legitimi successores. Sed quamvis plena et generalis potestas attributa sit papae, tamen cum ex finibus condicionis humanae papa non valeat eam per se ubilibet exercere et tot negotiis insistere, deus alios principes ad temporalium exercitium tamquam summorum pontificum vicarios permisit summique pontifices suam hanc condicionem cognoscentes aliis temporalium exercitium, imperatoribus videlicet exercitium temporalium generale, singulare vero regibus et dominis diversis tamquam vicariis suis etiam permiserunt, nullatenus se superioritate privantes, sed in multis occur-

---

1 dixit *K.* cf. Joh. 18,11. ac etiam cum dixit *K.* cf. Joh. 18,36. ‖ 8 vaginam *K.* inferius cum dicat: nunc *K.* ‖ 10 quasi Cristus *K.* ‖ 12 alio tempore uti posse. Et licet Cristus et eius vicarius Petrus et multi successores eius regimen et administracionem temporalium omiserint, tamen per hoc non domini in temporalibus dici non debent. Dominus enim, quamvis administracionem suorum bonorum concedet alteri, dominus tamen illorum bonorum remanet. Deus enim sciens, quod ex finibus conditionis humane papa non valeat potestatem suam ubilibet per se personaliter exercere et tot negociis insistere, principes ad temp. etc. *K.* ‖ 19 misit *K.* ‖ 22 singularem *K.* ‖ 23 suis ex inspiracione divina etiam permisere *K.* ‖ 24 *ad vocem* superioritate: *c. solite de maio. et obe V* in marg.

rentibus casibus superioritatem ipsam demonstrantes. Confiteamur itaque papam tanquam successorem Petri et non alium esse dominum mundi in spiritualibus et temporalibus directum et generalem et regem regum terrae, ipsumque regnum suum in temporalibus per reges et principes ac alios etiam officiales, potestates, gubernatores regere posse et regere certe. Nam qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Ac Johannes papa XXII se dominum totius mundi pro certo tenens a iurisdictione imperii Italiam magnanime exemit, et catholici imperatores seu reges Romanorum idem tenentes fidelitatem ecclesiae Romanae et summis pontificibus hucusque iurarunt et coronam auream et approbaciones receperunt, nec non rex Hierusalem et Siciliae, qui Neapoli residere solet et residet, et Sardiniae ac Aragonum, Angliae Ungariae reges identidem sentientes fidelitatem similiter hucusque iurarunt et censum seu tributum singulis annis ecclesiae Romanae persolverunt.

F. Doctor mi, de hac doctrina ago tibi gratias et deum exoro supplex, quod inspiret summos pontifices, ut regnum suum conservare magnanime velint, quia haec esset exaltatio Romae, cum ecclesia dicatur ecclesia Romana et etiam ecclesia potens magis venerabitur et hereticos ac hostes eius fortius domare poterit.

---

1 operantes. Ipsi etiam temporalia omiserunt, ut spiritualibus attentius vacarent, non temporalia pro derelicto habentes. Confit. itaque p. t. succ. P. dominum esse mundi *K.* || 4 et *ante* regem *deest K.* || 6 ac per alios *K.* || 7 posse ac *K.* || *ad vocem* qui: *de reg. iur. l⁰ VI V* in marg. || 8 videtur, et qui pro alio facit, illius pro quo facit vicarium esse constat. At Johannes *K.* *ad vocem* Johannes: *In extravaganti sua quae incipit: ne prebeat V* in marg. *pretereat* cod. Vat. 4167. || 9 totius orbis *K.* || 11 *ad vocem* fidelitatem: *ut c. veñ. de electio. V* in marg. || 12 et—hucusque *desunt K.* iurarunt et a summis pontificibus *K.* || 13 approbacionem hucusque *K.* || 15 ac Sardinie Aragonum *K.* || 16 ididem *K.* similiter *deest K.* *ad vocem* censum: *ut in l⁰ camere apostolice V* in marg. || 21 regn. suum temporale *K.* quia hoc *K.* || 23 veneraretur ac heret. et hostes *K.* || 24 posset *K.*

B. Multa super hac re per plures dicuntur, sed secundum veritatem credo dixisse satis. Auctoritates enim sacrae paginae auctoritatibus hominum etiam summorum pontificum positivis sunt preferendae. Nox est et crastina die equitabo Senas. Si quid ibi vis, iube. Vale.

F. Mi doctor et pater, me tibi commendo, deus gressus tuos dirigat in viam pacis.

---

2 auct. tamen sacre pagine tamquam a sancto spiritu procedentes *K.* ‖ 7 pacis et salutis *K.* — Deo gratias. Amen. Per Petrum de Godis de Vicentia editum Rome tempore factionis predicte scilicet M° CCCC° LIII° de mense Januario pontif. Nicolai pape *V* Anno Septimo. *V.* — Deo gratias. Explicit dyalogon per Petrum de Godis de Vincencia editum Rome tempore prefate coniurationis die quarta Januarii, qua coniuratio revelata est anno domini 1463 pontificatus Nicolai pape quinti anni sexti. (*sic*) *K.*

Index nominum et rerum memorabilium.

Aus Natur und Geisteswelt

Sammlung wissenschaftlich-gemeinverständlicher Darstellungen aus allen Gebieten des Wissens

Geheftet 1 Mark.	in Bändchen von 130—160 Seiten. Jedes Bändchen ist in sich abgeschlossen und einzeln käuflich.	Gebunden Mk. 1.25.

In erschöpfender und allgemein-verständlicher Behandlung werden in abgeschlossenen Bänden auf wissenschaftlicher Grundlage ruhende Darstellungen wichtiger Gebiete in planvoller Beschränkung aus allen Zweigen des Wissens geboten, die von allgemeinem Interesse sind und dauernden Nutzen gewähren.

Pompeji, eine hellenistische Stadt in Italien. Von Hofrat Professor Dr. Fr. v. Duhn. Mit 62 Abbildungen.

Sucht, durch zahlreiche Abbildungen unterstützt, an dem besonders greifbaren Beispiel Pompejis die Übertragung der griechischen Kultur und Kunst nach Italien, ihr Werden zur Weltkultur und Weltkunst verständlich zu machen, wobei die Hauptphasen der Entwicklung Pompejis immer im Hinblick auf die gestaltende Bedeutung, die gerade der Hellenismus für die Ausbildung der Stadt, ihrer Lebens- und Kunstformen gehabt hat, zur Darstellung gelangen.

Kulturbilder aus griechischen Städten. Von Oberlehrer Dr. Erich Ziebarth. Mit 22 Abbildungen im Text und 1 Tafel.

Sucht ein anschauliches Bild zu entwerfen von dem Aussehen einer altgriechischen Stadt und von dem städtischen Leben in ihr, auf Grund der Ausgrabungen und der inschriftlichen Denkmäler; die altgriechischen Bergstädte Thera, Pergamon, Priene, Milet, der Tempel von Didyma werden geschildert. Stadtpläne und Abbildungen suchen die einzelnen Städtebilder zu erläutern.

Schrift- und Buchwesen in alter und neuer Zeit. Von Professor Dr. O. Weise. 2. Auflage. Mit 37 Abbildungen.

Verfolgt durch mehr als vier Jahrtausende Schrift-, Brief- und Zeitungswesen, Buchhandel und Bibliotheken.

Die deutschen Volksstämme und Landschaften. Von Professor Dr. O. Weise. 3. Auflage. Mit 29 Abbildungen im Text und auf 15 Tafeln.

Schildert, durch eine gute Auswahl von Städte-, Landschafts- und anderen Bildern unterstützt, die Eigenart der deutschen Gaue und Stämme, die charakteristischen Eigentümlichkeiten der Landschaft, den Einfluß auf das Temperament und die geistige Anlage der Menschen, die Leistungen hervorragender Männer, Sitten und Gebräuche, Sagen und Märchen, Besonderheiten in der Sprache und Hauseinrichtung u. a. m.

Das deutsche Bildungswesen in seiner geschichtlichen Entwickelung. Von Professor Dr. Friedrich Paulsen.

Auf beschränktem Raum löst der Verfasser die schwierige Aufgabe, indem er [illegible] im Rahmen der allgemeinen Kulturbewegung darstellt, so daß die gesamte Kulturentwicklung unseres Volkes in der Darstellung seines Bildungswesens wie in einem [illegible] Spiegelbild zur Erscheinung kommt. So wird aus dem Büchlein nicht nur für die Kenntnis der Vergangenheit, sondern auch für die Forderungen der Zukunft reiche Frucht erwachsen.

Das deutsche Drama des neunzehnten Jahrhunderts. In seiner Entwicklung dargestellt von Professor Dr. G. Witkowski. 2. Auflage. Mit einem Bildnis Hebbels.

Sucht in erster Linie auf historischem Wege das Verständnis des Dramas der Gegenwart anzubahnen und berücksichtigt die drei Faktoren, deren jeweilige Beschaffenheit die Gestaltung des Dramas bedingt: Weltanschauung, Schauspielkunst und Publikum.

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig und Berlin.




WIDENER
WIDENER
JUL 2 2 2003
AUG 1 4 2003
CANCELLED
BOOK DUE

Verlag von B. G.





Charakterköpfe aus der antiken Literatur. Von Prof. Dr. Eduard Schwartz.

Die Sagen des klassischen Altertums. Von Stoll-Lamer

Die Götter des klassischen Altertums. Von Stoll-Lamer

Homer. Bearbeitet von Georg Finsler